



CONGREGATIO GENERALIS CXVIII

9 novembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 118 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Patres venerabiles, nocte pluit tota. Redeunt spectacula mane; nam aquae multae non potuerunt extinguere erga Concilium caritatem!

Prosequitur igitur disceptatio circa schema *de activitate missionali Ecclesiae*, circa quod verbum facere postulaverunt exc.mi DD. Laurentius Picachy, ep. Jamshedpurensis in India; Xaverius Geeraerts, ep. tit. Laganitanus; Secundus García de Sierra, arch. Burgensis in Hispania; Elias Zoghby, arch. vic. patr. Melchitarum in Aegypto; Ioannes Kodwo Amissah, arch. Litoris Capitis in Ghana; Fulton Sheen, ep. aux. Neo-Eboracensis in Stat. Foeder. Am. Sept.; Ioseph Hasler, ep. S. Galli in Helvetia; Victor Garaygordobil, ep. prael. null. Fluminum in Aequatore; Victor Sartre, arch. tit. Beroensis; Ioannes de Reeper, ep. Kisumuensis in Kenya; Ioannes Zoa, arch. Yaundensis in Camerun; Petrus Dery, ep. Vaënsis in Ghana.

Patres venerabiles, nuntio vobis mortem piissimam exc.mi D. Iosephi Francisci Rummel, arch. Novae Aureliae. Oremus pro anima ipsius.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi...*

Secretarius generalis: Patres venerabiles, in hac congregatione distribuatur fasciculus continens modos a Patribus conciliaribus propositos, a secretariatu ad christianorum unitatem fovendam examinatos, circa prooemium et cap. I schematis propositi *de Oecumenismo*, quod inscribitur *de catholicis Oecumenismi principiis*.

Expensio horum modorum suffragationi subiicetur crastina, ut iam fieri consuevit. Gratias.

Moderator: Velitis audire, Patres venerabiles! Ad felicem tractationem omnium schematum propositionum, omnino optandum est ut in hac sessione, omnia haec schemata brevi saltem disceptatione a Patribus discutiantur, ita ut commissiones competentes, intervallo interiecto, textus possint emendare, vel, si casus fert, novum textum reficere.



Pro paucis diebus adhuc restantibus, remanent, praeter aliquos interventus circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* qui, schemate de Missionibus finito, habebuntur, — remanent, dico, sequentia schemata hoc ordine chronologico discutienda: *de religiosis; de institutione sacerdotali; de educatione catholica; de matrimonio.*

Proin, Patres humanissime rogantur ut presse ac concinne ad schema loquantur: quomodo, nempe, perpoliatur in concretis, vel cur remittatur. Et tempore opportuno, discussioni finiendae consentire velint.

1

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS TREVOR PICACHY
Episcopus Jamshepurensis

Venerabiles Patres conciliares, dilecti adstantes omnes,

Loquor nomine totius hierarchiae Indiae, et nomine aliquot episcoporum Pakistan, Birmaniae et Malaysiae.

Nos episcopi missionarii cum multis Patribus dolemus quod schema ad meras propositiones reductum fuisse. Volumus tamen aliquas considerationes constructivas proponere.

Christus Dominus primo fecit deinde docuit. Proindeque placet quod in n. 2, Evangelii praecones enixe rogantur, ut exempla apostolorum secuti, Christum Iesum, quem gentibus praedicant, ante omnia in seipsis exprimant solido virtutum exercitio.

Laudandum est schema quia gratias agit illis viris et mulieribus qui orationibus, sacrificiis et tribulationibus, laboribus missionalibus cooperantur. Missionarii conscii sunt de maximo auxilio quod eis venit a sodalibus contemplativis, eorum vitae sanctitate et orationibus. Missionum caelestis patronus est, non tantum S. Franciscus Xaverius, qui tot labores sustinuit, sed etiam S. Theresia a Iesu Infante, quae inter saepa monasterii apud Lisieux degens, non minus adlaboravit.

In propositione 5, ultima paragrapho, bene accentus ponitur in evangelizatione directa. Nam tentatio adest institutiones existentes colendi, et ad iam conversos se limitandi, pro quibus ceteroquin quandoque clerus vix sufficienter numero adest. Quod em.mus card. Frings tam luculenter dixit: « Aut crescit Ecclesia aut decrescit, non datur tertium », penitus menti omnium membrorum Ecclesiae infigatur oportet.

Puto autem *schema in tribus sat graviter deficere*. 1. Quod declaratio de Catechistis nimis brevis est et absque ullo vigore. Cum autem de hac re duo Patres optime locuti sint, non expedit ea repetere. Cum



eis instanter peto ut in schemate fusius et firmiter tractetur de formatione, munere et remuneratione horum fidelium cooperatorum in vinea Domini.

2. Deficit schema quia missiones tantum ut obiectum caritatis et misericordiae considerare videtur. Loquitur de auxiliis quae dantur et quae magis praebenda essent missionibus, sed fere nihil dicit de eis quae missiones dant et dare possunt. Pro Ecclesia, missiones et vita in missionibus non onus sed privilegium sunt, quae possunt contribuere multum ad vitalitatem, fervorem et catholicitatem eius.

Utique, caritate Christi compulsi, sat multum mendicant missionarii, sed petitio auxiliorum non est pars essentialis vitae missionariae. Dominus ipse dixit: « Quae primus regnum Dei ». Et certe nunc minor adhuc ratio anxietatis missionariis erit, cum nuper ...¹ mille non-genti duodecim Patres *placet* dixerunt ad n. 6 schematis *de pastoralis episcoporum munere*, quod sic sonat: « Prae oculis habeant praeterea episcopi in usu bonorum ecclesiasticorum, rationem quoque habendam esse necessitatum, non tantum suae dioecesis sed et aliarum particularium Ecclesiarum, quippe quae unius Ecclesiae Christi sint partes ». Spes enim nobis est quod hoc in praxim reductum iri.

S. Paulus ad Romanos scribit: « Nemini quidquam debeatis nisi ut invicem diligatis » ...². S. Ignatius Loyola addit: « Amor semper tendit ad aequalitatem ». Ecclesia missionaria multum accipit et gratias agimus Sacrae Congregationi de Propaganda Fide et omnibus benefactoribus nostris. Sed animo hilari Ecclesia missionalis suam quoque partem praebet. Praebet enim exemplum communitatum ubi christiani vere vivunt ut christiani. Non habemus ecclesias amplissimas et ornatisimas, sed missae dominicali tam multi a longe venientes intersunt ut saepe ecclesiae non possint continere omnes et missa celebrari debeat sub arbore vel sub diu. Immo in pagis remotis, ducibus catechistis, christiani diebus festis ad paraliturgiam et preces conveniunt. Multis in locis concursus fit populi missis quotidianis, sacramenta frequentantur et fideles orationi incumbunt. Non parum prodesse puto Ecclesiae tot sacerdotum, religiosorum et fidelium vitam sacrificiis plenam. In sanctorum communionem, in ordine gratiae, missiones quam multum conferunt in aedificationem Corporis Christi.

Sed est alia contributio quam novellae Ecclesiae Universali afferre debent. Haec contributio est quod catholicitatem Ecclesiae ditant, quod iuxta propriam indolem cuiusque culturae, fidem et vitam christianam suo modo exprimunt. Propositiones 11 et 12 optima quaedam de hac re statuunt. Rogamus ut etiam amplientur, et in genere hoc schema directiones magis positivas exhibeat.



3 et ultimo. Deficit quoque schema in eo quod non sufficienter insistitur in promotione spiritus apostolici. Venerabiles Patres, activitas missionalis non censenda terminari cum constituta sit hierarchia indigena. In omni missione imbuendi sunt presbyteri, religiosi et fideles spiritu apostolico. Sicut fidem ab aliis accepimus, citius tempus veniet quando nobismetipsis Christus mandatum dabit: « Euntes docete omnes, baptizantes eos ». Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ (die 4 novembris). ² (Rom. 13, 8).

[*Subscripserunt etiam*] E. D'Souza, arch. Bhopal; D. Mathias, ep. Chikmagalurensis; F. X. Fenech, ep. Jhansi; G. Alapatt, ep. Trichur; J. B. Evangelisti, Meerut; M. Potanamuzhi, ep. Kothamangalam; E. Pinto, ep. Ahmadabad; A. V. D'Souza, arch. Calcutta; Ath. Polachirakal, ep. Tiruvalla; O. Sevrin, ep. tit. Mosinensis; S. Valloppilly, ep. Tellicherry; L. D'Mello, ep. Ajmer-Jaipur; F. da Veiga Coutinho, ep. Belgaum; R. D'Mello, ep. Allahabad; Eric Benjamin, ep. Darjeeling; St. Tigga, Raigarh-Ambikapur; A. Galbiati, Jalpaiguri; P. Kerketta, arch. Ranchi; Alban Swarbrick, praef. ap. Jullundur; B. Mudartha, ep. tit. Idebesso, aux. Jhansi; Januarius, hierarcha ordinarius Chandensis; S. Vayalil, Palai; Aldo Patroni, Calicut; L. Selvanaden, ep. Salem; R. A. Sundaram, ep. Tanjore; A. Yeddanapalli, ep. Bellary; Ign. Gopu, coad. Visakhapatnam; Th. R. Agniswami, ep. Kottar; F. X. Muthappa, Coimbatore; I. Mummadi, ep. Guntur; J. Mark Gopu, arch. Hyderabad; M. Arattukalam, ep. Aleppey; J. Fernandez, ep. Quilon; J. Mendonça, ep. Tiruchirappalli; Th. Fernando, ep. Tuticorin; J. P. Leonard, arch. Madhurai; D. C. Aruiswami, ep. Kumbakonam; J. Rosario, ep. Amravati; J. Malenfant, praef. ap. Benares; A. Fernandes, arch. tit. Neopatrasso; D. Athaide, arch. Agra; A. A. D'Souza, ep. Poona; D. S. Lourdasamy, ep. aux. Bangalore; J. Attipetty, arch. Verapoly; Leo Tigga, ep. Dumka; J. Fernandes, arch. Delhi; A. Padiyara, ep. Ootacamund; A. Berretta, ep. Warangal; M. Fernandes, ep. Mysore; V. Bazin, Rangoon; Ph. Côté, ep. Süchow; J. Oste, ep. Jehol; J. Burke, ep. Simla; J. Howe, ep. Myitkyina; H. Byrne, ep. tit. Lamia; P. Cleary, ep. Nancheng; P. Bouckaert, ep. Popokabaka; R. L. Guilly, ep. Georgetown; O. McCoy, ep. Oyo; L. O. C. Nwaezeapu, ep. Warri; A. De Vito, ep. Lucknow; J. Houlihan, ep. Eldoret; D. Desperben, praef. ap. Hainan; J. Parecattil, arch. Ernakulam; A. Wildermuth; D. Vendargon, ep. Kuala Lumpur; C. Van Melckebeke, ep. Ningshia; O. Marengo; L. La Ravoire Morrow; Alb. van den Hurk, arch. Medan; M. Olçomendy, arch. Malacca-Singapore; J. Cordeiro, arch. Karachi; P. Tobar Gonzáles, ep. Cuttack; B. M. Gregorius, arch. Trivandrum; F. Simons, Indore.



2

EXC.MUS P. D. XAVERIUS GEERAERTS

*Episcopus tit. Laganitanus**Venerabiles Patres,*

Loquor nomine septuaginta quinque Patrum qui fere omnes activitatem exercent aut exercuerunt in regionibus sic dictis « Missionis ».

Quamvis schema iam plura indicet in diversis propositionibus quae facienda *sint*¹ ut novus spiritus per media nova « missiones » ad tempora moderna accommodet, tamen nimis breve de his omnibus tractat. Sperabamus utique ut haec quaestio vitalis et primordialis Ecclesiae fusius tractaretur et in schemate completo nobis proponeretur. Quapropter proponimus ut post disceptationem remitteretur ad commissionem ad recognoscendum et profundius tractandum.

Imprimis enim considerandum est, Patres venerabiles, momentum maximum huius schematis pro magno numero Patrum hic praesentium quorum fere unus ex tribus adlaborant in campo missionis. Oportet ut Concilio peracto documentum recipiant completum et secum portare possint quod missionibus novum impulsus daturum sit.

Tria tantum dicam et sunt animadversiones generales intime tamen inter se connexae...²

1. Theologia quaedam de missione in praesenti schemate deest, quae tamen optabilis apparet. Aliqua tantum theologica tanguntur in n. 1, insufficienter tamen. Audivi commissionem de missionibus commissioni de fide et moribus curam remisisse sufficientem doctrinam de missione proponendi in constitutione dogmatica *de Ecclesia*. Quod quidem factum est, competenter sane, sed utrum sufficienter dubitare licet. Est enim n. 17 supradictae constitutionis aliquid ieiunus, forsan quia praesupponit cap. I eiusdem constitutionis, in quo alta fundamenta missionis Ecclesiae indicata sunt, nempe consilium Patris, missio Filii, missio Spiritus Sancti. Attamen etiam in hoc capite, coniunctio missionis Ecclesiae cum missionibus Verbi et Spiritus Sancti potius implicita remanet quam expressa, quum revera sit fundamentum primum indolis essentialiter missionalis ipsius Ecclesiae: fundamentum, dico, altissimum, quia, secundum S. Thomam Aquinatem, missiones temporales divinarum Personarum originem suam habeant in processione aeterna divinarum harum Personarum. En intimum rei et altissimum fundamentum indolis missionalis Ecclesiae... Nonne oporteret haec bre-

viter resumi in initio schematis nostri Propositionum? Nonne oporteret principaliora themata constitutionis *de Ecclesia*, quasi capitibus eius successivis alludendo, breviter repetere ita ut ostendatur indoles essentialiter missionaria eorum: indoles missionaria unitatis de qua in cap. I agitur; catholicitatis, de qua in cap. II; apostolicitatis et collegialitatis episcopalis, de quibus tractatur in cap. III; laicalis conditionis, de qua diserte tractat cap. IV; indoles missionaria sanctitatis, de qua in capp. V-VI, et tandem momentum missionale totius activitatis christianae, in consummationem eschatologicam tendentis (cap. VII)...

2. Mihi, in eadem inspiratione perseveranti ac pergenti, insistendum videtur ideae feliciter expressae in prooemio ...³, ideae scil. *unitatis Missionis*. Quae idea iam ipso titulo schematis innuitur, ubi non amplius scribitur, sicut antea, « De Missionibus », sed « De activitate missionali Ecclesiae »: Ecclesia ipsa, et non pars tantum *specialis* eius, describitur ut missionaria. Verum enim est missiones in recenter evangelizatis regionibus differre ab Ecclesiis regionum ubi iam antiquitus fides diffusa et instituta maiora Ecclesiae instaurata fuerunt: sed tantum sub aspectibus administrativo et iuridico. Theologice tamen rem considerando, nefas est missiones sic dictas longinquas (longinquas a quo?) distinguere a vita Ecclesiarum in terris christianis radicatarum. Sub adpectu enim ipsius missionis, nil interest locus vel distantia, nil interest Ecclesias aliquas locales adhuc indigere adiutorio Ecclesiae universalis vel aliarum Ecclesiarum particularium. Ubi enim et pro tanto Ecclesia esse incipit, quia missio eodem passu incipit, quia missio a vivente Ecclesia necessario procedit.

...⁴ Unitatem missionis indolemque missionariam universae Ecclesiae, ubicumque et qualiscumque sit, manifestare et affirmare oportet.

3. Oporteret denique ut ista missionalis indoles, ista missionis unitas monstrarentur coalescere cum *collegialitate episcopali*. Cum de collegio apostolorum quaestio est in constitutione *de Ecclesia*, citatur textus ex Evangelio Matthaei ...⁵: « Ite, docete omnes gentes, etc. ». Collegialitas episcopalis non est tantum aliqua structura ad constitutionem divinam Ecclesiae pertinens, sed statica: est in seipsa missionaria et ad universalem evangelizationem ordinata...⁶

Oecumenismus unus est, missio una est, uno episcopatu in solidum concredita!

Conclusio. 1. Fundamenta theologica missionis melius adumbrentur; 2. Unitas missionis amplius affirmetur, in connexione cum doctrina collegialitatis episcopalis, de qua ultimi Papae, scil. Benedictus XV,



Pius XI et Pius XII, locuti sunt praecise in suis Encyclicis de re missionaria. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ sunt. ² omnia particularia ad curam aliorum Patrum relinquam. ³ pag. 7, linn. 8 ss. ⁴ Haec est ratio quare missionem his verbis designare vel describere, nempe « plantatio Ecclesiae », meo sensu non sufficit, quantumvis licet descriptio haec vera sit. Quare? 1. quidem quia vox « Ecclesia » ivi supponit vel sumitur tantum pro institutionibus: cum vocabulum « Ecclesia » designet quoque congregationem fidelium seu communitatem christianorum vel plebem sacerdoti suo adunatam; 2. quia, etiam in regionibus ubi Ecclesia omnibus et excellentissimis institutionibus gaudet, adsunt increduli, adsunt non christiani, adsunt mali christiani, qui omnes, unusquisque suo modo, evangelizari indigent! Quibus rationibus antiqua locutio « dilatatio Ecclesiae » (vel dilatatio fidei) priorem definitionem missionis optime complere potest ac forsitan debet. ⁵ 28, 18 ss. ⁶ In ipsa manifestatur solidaritas episcoporum, et consequenter unitas missionis. Aestimare licet hanc doctrinam, nostris temporibus, divina favente Providentia, denuo declaratam esse, cum in tot ac tantis rebus saeculi nostri appareat indoles aliqua solidaritatis et communitatis. Mundus fit magis magisque unus, quam minus minusque res singulariter procedunt, ad instar insularum quarundam.

[*Subscripserunt etiam*] L. card. Rugambwa; A. Van den Bosch, ep. Matadi; A. Creemers, ep. Bondo; F. Scalais; G. Bouve, ep. Kongolo; U. Morlion, ep. Baudouinville; V. P. Keuppens, ep. Kamina; J. Cornelis, arch. Elisabethville; A. Jacques, ep. Boma; F. van den Bergh, ep. Lisala; R. Ndudi, aux. Boma; A. Leroy, ep. Kilwa; A. Van Oorschot; B. Cleire, ep. tit. Tadamata; J. Lesourd, ep. Nouna; M. Mihayo, arch. Tabora; L. Sangaré, arch. Bamako; P. Leclerc, arch. ep. Ségou; F. X. Lacoursière; J. Ogez; O. McCoy, Oyo; V. McCauley, Fort Portal; M. Van Rengen, ep. el. Mweka; J. Bretault, ep. Koudougou; F. Bouckaert, ep. Popokabaka; G. van den Elzen, praef. ap. Doruma; J. Van Cauwelaert; B. Mels, arch. Luluabourg; P. Molin; L. Volker, sup. gen. P. A.; P. Zoungrana, arch. Ouagadougou; L. Durrieu, ep. Ouahigouya; J. Busimba, ep. Goma; A. Dupont, Bobo-Dioulasso; R. Landru, praef. ap. Gao; E. Trudel; A. Makarakiza, ep. Ngozi; E. Socquet, arch. tit. Selimbria; G. Mercier, ep. Laghouat; P. Pinier, ep. Constantine; M. Daubechies, ep. Kasama; J. Holmes-Siedle, ep. Kigoma; M. Ntuyahaga, ep. Bujumbura; H. Catry, ep. tit. Senta; V. Chang; P. Hugentobler; A. de Moura; E. Maillat, ep. N'Zérékoré; H. Pinault, ep. Chengtu; A. Roy, ep. tit. Ambia; C. Vanuytven; C. Verfaillie, ep. tit. Oea; J. Gufflet; O. Degrijse, sup. gen. CICM; A. Lanctot, Rulenge; H. Baaken, ep. tit. Gordo; P. M. Arntz, ep. Bandung; J. Fady, ep. Lilongwe; N. Geise, ep. Bogor; C. Van Melckebeke, ep. Ninghsia; J. V. Daem; L. Morel, arch. tit. Eno; E. Courtois, ep. Kayes; H. Vermeiren; A. Fürstenberg, ep. Abercorn; D. De Montclos; M. Beovich, arch. Adelaide.



3

EXC.MUS P. D. SECUNDUS GARCIA DE SIERRA Y MENDEZ

Archiepiscopus Burgensis

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Loquor nomine 84 Patrum ex Hispania, America ac ex Africa.¹

« Veluti signum levatum in nationes », Ecclesia, a qua mundus tot exspectat, mandato Domini obsecundans: « Euntes..., docete..., baptizate » ...², vivit et vitam hominibus communicat. Ultra expectationem hominum, eis communicat vitam illam abundantiore ad quam afferendam Christus venit ...³. Haec activitas missionalis Ecclesiae ex ipsis visceribus eius nascitur, ei essentialis est, immo ipsi vigorem praestat. Exinde momentum huius schematis.

Agitur summatim de dynamicitate Ecclesiae permanentem et urgentem exercenda, de unica quaestione vere necessaria ...⁴ ut Dei voluntas adimpleatur ...⁵. Longe maior pars hominum, scil. ultra 72% totius humanitatis, Christum ignorat. Et, licet aevo moderno, ut em.mus card. Agagianian referebat, notabile incrementum activitas missionalis cognoscat, tamen progressus maior et urgentior in ea requiritur, ne Ecclesia in mundo deveniat in dies relative minor; processus enim demographicus sufficit ut numerus non credentium proportionaliter crescat. Accedunt peculiare conditiones actuales, quae animadvertuntur in pluribus territoriis missionum, ita ut hoc sit « tempus acceptabile », quod, si transeat, difficilius postea in eis Ecclesia plantabitur. Recolere iuvat quae Summus Pontifex Paulus VI die 18 octobris proferebat: « His ipsis diebus epistolam accepimus, cui plures episcopi regionum Africae mediae subscripserant, et qua flagitatur, ut sacerdotes, immo nova agmina sacerdotum, eaque multa, et quidem statim, hodie, non cras, eo mittantur » ...⁶. Etiam pro aliis regionibus adhuc est tempus, adhuc Ecclesia plantari potest. Regiones sunt albae « ad messem » ...⁷. Quisnam earum⁸ messor erit? Materialismus aut Ecclesia?

Quod si agmina numerosiora, et quidem urgentissime, sunt paranda, praeconum Evangelii, hoc prae oculis habendum est: omnia quae in schemate dicuntur de selectione et efformatione eorundem accuratissime esse servanda; testes enim Ecclesiae erunt apud infideles et non raro a qualitate testium ipsa Ecclesia iudicabitur. ...⁹ Proinde quae attinent ad efformationem spiritualem, intellectualem ac humanam missionariorum urgere oportet.

Non autem sufficit ut eam exigamus sed requiritur ut eam nos omnes



pro viribus praebeamus. Quod difficilius fiet et absque sufficienti coordinatione, si unusquisque episcopus in propria dioecesi solus in re tanti momenti adlaboret. Verum quidem est quod in schemate dicitur, n. 2, episcopus totius mundi munus habere ubique terrarum fidem promovendi et Evangelii praecones ad quoscumque hominum non christianorum coetus mittendi. Oportet autem determinare modo magis concreto quomodo hoc munus statim et efficaciter exercere valeant.

Omnibus notum est variis in nationibus catholicis adesse Instituta pro Missionibus Exteris, quae pendent a Sacra Congregatione de Propaganda Fide. Iam vero haec Instituta centrum naturale videntur esse coordinationis pro selectione et efformatione missionariorum, cooperantibus conferentiis episcopalibus.

In mea quidem dioecesi sedem habet Institutum Hispanicum Sancti Francisci Xaverii pro Missionibus Exteris, quod in dies magis florescit. Eius vero incrementum multiplicari *absque dubio*¹⁰ posset si, sub ductu Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, sacerdotes saeculares seligeret et efformaret ut etiam *ad tempus* in territoriis missionum apostolatuum suum exercere valeant. Ita obtineretur accurata selectio, amplior numerus, incrementum spiritus missionalis etiam in territoriis iam catholicis, amplior cooperatio laicorum, et, vel maxime, coordinata cooperatio et rationabilior distributio missionariorum pro maioribus necessitatibus missionum.

Oporteret igitur ut conferentiae episcopales, huius generis Instituta ubi non sint erigant et iam existentia foveant, immo, approbante Sacra Congregatione de Propaganda Fide, determinent, attentis circumstantiis, modum concretum cooperationis sacerdotum saecularium, necnon et laicorum, ad opus evangelizationis in territoriis missionum etiam ad tempus. Ita in praxim vere deducuntur quae nn. 5 et 6 schematis continentur.

Haec Instituta medium efficax etiam esse possunt ad efformandos praecones Evangelii qui in territoria missionum adire velint mediantibus aliis formis cooperationis: non enim *hoc tanquam minus*¹¹ foveatur, e. g. gemellatio dioecesium vel paroeciarum.

Secus, vel talis urgentissima cooperatio non aderit, vel erit omnino insufficiens et non raro anarchica. Ut iam in aula aliquando audivimus, ad virium catholicarum efficaciam multiplicandam, urget rationabilis ordinatio earumdem.

Ad ea quae magis in concreto aliquas propositiones attinent, haec notare velim, ut accuratius redactentur:

1. Aliquando confusio adesse potest inter dispositiones quae tantum territoria missionum important et universam Ecclesiam; ita, e. g.,

in n. 2, littera *b*, lin. 15, ubi dicitur: « In variis regionibus », adiungi debet « missionum ».

2. In eodem numero, littera *d*, quae dicuntur: « et in aedificiis, etiam sacris », non videntur opportuna, nec apta ut a Concilio expresse proponantur, nam simplicitas, de qua in textu, est quid valde relativum; aliunde fundamentum praebere possint immoderatae criticae aliquorum respectu aedificiorum iam existentium.

3. In n. 3, pag. 9, lin. 2 verba « Eodem tempore monstrent » *nimis barbare sonant*.¹² Praeterea integra paragraphus videtur fere exclusive prae oculis habere populos adhuc non evolutos. Enumeratio etiam comprehendat alios aspectus activitatis missionalis indirectae inter magis excultos.

4. N. 9, pag. 11, lin. 9, ubi dicitur « Laici qui », interponendum est comma ut vitetur sensus partitivus, ita ut sonare debeat: « Laici, qui consecrationem etc. ... ». Etiam desideratur in hoc numero expressa doctrina de laicis directe cooperantibus ad extensionem Evangelii in territoriis missionum.

Patres venerabiles, rem inter omnes gravissimam nunc tractamus *missionariam*,¹³ urgentissimam quidem. Iam est agendum, totis viribus! Mundus spectat, immo, dicerem ipse Deus! Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² (Mt. 28, 19). ³ (cf. Io. 10, 10).
⁴ (cf. Lc. 10, 42). ⁵ (cf. 1 Tim. 2, 4). ⁶ (L'Osservatore Romano, 19 octobris 1964). ⁷ (Io. 4, 35). ⁸ earumdem. ⁹ Ea. ¹⁰ deest.
¹¹ obstant quominus. ¹² videntur nimis barbara locutio. ¹³ deest.

Textus additus:

Statuta Concilii, quae paraturi sumus, respicere deberent, quantum fieri potest, tum in sua amplitudine cum etiam in sua perspicuitate, universam Ecclesiam, ita ut ad omnes gentes, populos et nationes applicari queant.

Nunc autem schema hoc *de activitate missionali Ecclesiae*, quamquam accurate paratum, solum asiaticum et africanum genus missionum considerat; ignorat vero missiones Americae Centralis et Meridionalis, quamvis constet has quoque missiones non parvo territorio pro indigenis extendi, nec minoris esse momenti.

Notum est missiones americanas ab asiaticis et africanis haud parum differre; nam missionarii in Asia plerumque commorantur inter gentes excultas, vetustae humanitatis moribus firmatas et civili convictu viventes; missionarii vero qui inter tribus silvestres in America adlaborant, generatim mores omnino incultos, vitam omnino efferatam et barbaram inveniunt; hic neque cultus servandus est neque traditio incorporanda est, quia nullus cultus ibi est, nulla cultura quae homines deceant. Immo vero in illis regionibus missionarii veluti primum impensum habent ut, antequam Evangelium nuntient, de ipsa civilitate inferenda cogitare debeant; quare — quod nullo modo est praetereundum si velint gentes barbaras ad Crucem Domini deducere, primum ad genus vitae vere humanum,



ad statum civitatis, ad decentem et honestum convictum eas tribus erigere debent; quod opus, veluti necessaria condicio quaedam est ad ipsam veritatem revelatam nuntiandam.

Nunc autem usque in praesentem diem, non parum contulerunt ipsae civiles potestates tum Americae Centralis cum Meridionalis: omnes iuvenes illae Respublicae praebitis subsidiis, pecunia exposita, viribus etiam honestorum hominum exercitatis, huic operi impense praesto fuerunt, ex officio sibi explendo.

Attamen non infrequenter missionarii illarum regionum soli in silvis sine auxilio, unice propriis et exiguis subsidiis operam hanc navaverunt; neque tacendum est eos plerumque modo empirico, inordinato adlaborasse, ideoque nullo fere cum fructu vel parvo cum successu etiam post plura decennia.

Hodie autem novum quiddam notamus: singulae civitates et internationales institutiones (verbi gratia sic dictum « Instituto Indigenista Interamericano ») quaestionem hanc ex integro aggredi volunt: en igitur prae nostris oculis congressus scientifici ad rem examinandam, ut optimus conventus internationalis his diebus in Quito celebratus, en coetus virorum peritorum ad regiones melius explorandas, en subsidia locupletia ad barbariem illarum tribuum debellandam, en domus, en medici, en scholae.

Nos gratulamur de tanta operositate et dilaudamus incepta; sed hae novae res in nova quadam temperie Ecclesiam collocant; nam si attente consideremus civilia et profana haec incepta, notamus ea ab Ecclesia praescindere vel saltem Ecclesiam ignorare. Nemo non videt ergo quantum intersit ut Ecclesia et Concilium tale eventum attente consideret. Ab eo pendeat enim si missionarii duplicatas vires capessere valeant ad tribus ipsas civili more instituendas, et eas ad lumen Christi perducendas, vel fortasse occasionem postremam amittant.

Quibus expositis, sequentes animadversiones humiliter propono:

1. Necessae est omnes illos Vicariatus et Praefecturas Apostolicas in scala interamericana organizare, quae similibus necessitatibus divexentur, ita ut proposita, incepta, methodi ipsae et viri, mutuo communicentur atque ipsa actio missionalis apte et veluti generali programmata statuto procedat.

2. Necessae est missionarios modo magis conformi, magis scientifico instituere eosque non tantum ad Evangelium nuntiandum verum etiam ad ipsam civilitatem diffundendam iam in seminariis exercitare.

3. Necessae est ut Ecclesia et missionarii sese incorporent in organisationes internationales iisque nomen dent, nam Ecclesia vim et praesentiam suam in his quoque institutionibus manifestare debet atque ita cum ipsis civilibus potestatibus, sociata opera, ad tribus elevandas adlaborare.

Faxit Deus ut plantatio Ecclesiae, instimulante Concilio, etiam in nostris regionibus novam vigorem adipiscatur.



4

EXC.MUS P. D. ELIAS ZOGHBY

*Archiepiscopus tit. Nubiensis, vic. patr. Melchitarum**Venerabiles Patres,*

Miramini forte episcopum orientalem de missionibus sermonem facere, cum orientales Ecclesiae, ex quibusdam historicis adiunctis, opus missionale interrumpere conatae sunt. In decursu tamen saeculorum Ecclesiae orientales activitatem missionalem maxime fovērunt; immo, usque ad hodiernum diem, aliquam — ut ita dicam — mysticam missionalem servant, quam schema nostrum ignorare — magna saltem ex parte — videtur.

*Schema nostrum*¹ parum curat de sensu missionis, deque novis viis aperiendis, quae necessitatibus mundi nostri temporis magis accommodatae sint. Ad pleniorē expositionem elaborandam, traditionalis Patrum orientalium doctrina missionalis aliquid conferre potest. En ergo modus quo Patres orientis missionem Christi eiusque Ecclesiae cogitarunt:

1. Inde a primis saeculis, Ecclesiae orientales missionem Christi in mundum aspiciunt tanquam aliquam *Epiphaniā*, i. e. aliquam lucis divinae irruptionem in opus creationis. Ecclesia autem pro missione habet hanc Epiphaniā Domini perpetuare, et ita in saeculorum decursu adventum Regni Dei praeparare.

2. Aliam ideam cordi habent Patres orientales: missionem nempe redemptivam Christi et Ecclesiae respicere humanitatem, quae iam foecundata est semini divino, germinibus Verbi (graece: *spermata tou Logou*), ut aiunt Iustinus, Clemens Alexandrinus et Origenes. Evangelicus enim nuntius, qui terram nondum evangelizatam adit, semen verbi Dei seminat in animas quae a Verbo Dei penitus alienae non sunt, sed potius a Spiritu Sancto iam diu praeparatae sunt; nam illae animae inde a sua creatione germen Verbi creatoris receperunt, i. e. semen divinum quod rorem novi diluculi exspectat ut crescat et fructificet.

Hanc progressivam mundi praeparationem pro Salvatoris adventu iidem Patres describunt ut divinam Paedagogiam, in qua S. Irenaeus et S. Gregorius Nazianzenus (inter alios) aspiciunt admirantes divinum consilium, iam ab initio, de salvando genere humano.

Ex hac duplici consideratione circa missionem, duo commoda defluunt:

Primum commodum in eo consistit quod nulla fit scissura inter Verbum redemptorem et Verbum creatorem, vel inter genus humanum redemptum et genus humanum creatum. In missione, tamquam epipha-

nia descripta, irrui in mundum ipsa divina lux quae hominibus communicata est cum vita in die creationis: « In principio erat Verbum... In ipso vita erat, et vita erat lux hominum ».

Sicut Verbum, vitam communicando, in unoquoque hominum « germen Verbi » condidit, ita etiam unusquisque homo plenitudinem vitae ex Incarnatione Verbi eiusdemque Redemptione accepit ...². « De plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia » ...³

Patres ergo, nexum ostendentes inter missionem Verbi Redemptoris et missionem Verbi Creatoris, ipso facto declarabant indolem universalem missionis Christi et Ecclesiae.

Secundum commodum istius Patrum descriptionis de missione in eo consistit quod Ecclesia missionalis invitatur maximi momenti facere illius germinis Verbi in unoquoque homine conditi ...⁴ Ecclesia in populis evangelizandis illud divinum semen detegere primum debet, atque divitias naturales quas idem semen produxit.

*Cum Verbum Redemptor idem sit ac Verbum Creator, aequaliter ad omnes homines et ad omnes populos pertinet. Ipsum ubique debet esse in domo sua, ubique inter suos. Itaque Ecclesia missionaria non debet populis imponere Christum, ut ita dicam, praefabricatum, Christum unius populi vel alicuius civilizationis determinatae. Populi qui fide accipiunt Iesum Christum debent eum exprimere et reincarnare ad imaginem et similitudinem suam ut Ipse sit revera omnia omnibus. Ecclesia in tantum est catholica, i. e. universalis, in quantum capax est identificare Christum Evangelii, quem dedit populis, cum Christo transfigurato, quem ab illis accipit.*⁵

In nostra hac aetate, qua novellae nationes legitime gloriantur suo culturali et spirituali patrimonio ad genus humanum et ad Ecclesiam conferente, maxime oportet schema nostrum illam traditionalem doctrinam de missionali apostolatu proponere et enucleare.

*Tempus, cum absumatur, ad secretariam dabo textum de tertio missionis aspectu Patribus orientalibus praedilecto, i. e. aspectus quo missio praesentatur ut aliqua Pascha seu paschalis effusio in Ecclesia perpetuata per Eucharistiam, vinculum scil. Novi Testamenti inter Deum et homines.*⁶

Novam elaborationem schematis exoptantes, in ea nos orientales⁷ invenire speramus hanc profundam et foecundam *Patrum orientalium*⁸ de activitate missionali⁹ intelligentiam, qua cum Fratribus nostris occidentalibus cooperare adiuvabimus ad magnum Missionis opus.¹⁰ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Missionalem Ecclesiae latinae activitatem strenuam liberrime admiranterque agnoscentes, diem optatum exspectamus quo oriens chri-



stianus nisum suum missionalem iterum capere poterit. Ecclesia enim universaliter est missionalis, natura sua est missionalis. Schema autem nostrum de sola Ecclesiae latinae activitate cogitat, quam iam exstantem ordinare intendit; ita.² Lux ergo, quae in principio aderat, in Incarnatione refulsit; germen Verbi in creatione tribuitur, plenitudo autem Verbi in Redemptione nobis datur.³ Ecclesia vero ad instar Ioannis Baptistae, pro missione habet « ut testimonium perhiberet de lumine..., quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ». Sed Ecclesiae opus iam ultro pergit: Ecclesia namque hominibus plenitudinem vitae tribuit; et ita minimus in regno Dei maior est Ioanni Baptistae.⁴ maximi etiam momenti facere illius progressivae Dei actionis in genere humano, i. e. ipsius Dei paedagogiae.⁵ Non sufficit populos evangelizatos ab Ecclesia recipere nuntium evangelicum: ipsi possunt et debent Ecclesiam locupletari. Ecclesiam autem ditabunt non tantum fide quam ab ipsa accipiunt, sed etiam ei afferendo suas proprias humanas valores a Deo acceptas cum germine Verbi, et per divinam Spiritus paedagogiam saeculorum decursu excultas.⁶ Tertius activitatis missionalis aspectus Patribus orientalibus praedilectus locum privilegiatum in nostro schemate obtinere deberet. Missio non est tantum Epiphania Domini et germinatio Verbi, sed etiam Pascha effusa quae valores creatas per gratiam Spiritus Sancti transfiguratur. Eucharistia est signum sacramentale istius effusionis, quae perdurare debet donec veniat Dominus. Per Eucharistiam Ecclesia in populis plantatur; per Eucharistiam communio inter homines instituitur. Dominus Iesus regnum Dei annuntians pluries parabolam convivii adhibuit: ad quod convivium non tantum amici patrisfamilias eiusque concives vocantur, qui invitanti respondere negligunt, sed omnes qui intrare volunt. Ecclesia, ubique ipsa adest, pro missione habet proponere mensam suam (*Prov.* 9, 2), et homines praeparare et convocare ad mensam sacrificii eucharistici, circa Agnum immolatum. Ita altare quo Dominus praesens adest, centrum fit congregationis populi Dei, et ex eo Ecclesia in loco novo stabilitur. « Hic calix, dicit Iesus apostolis suis, est novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur » (*Lc.* 22, 20). Ecclesia ergo videre debet Eucharistiam ut vinculum novi testamenti inter Deum et homines. Per Eucharistiam enim Ecclesia se inserit regionibus terrarum; et gradus quibus infideles in Ecclesiam introducuntur, illi sunt quibus paulatim officii eucharistici participes fiunt: catechumenorum liturgia eos parat ad baptismum, et per baptismum ad fidelium liturgiam introducuntur. Haec eucharistica Verbi Incarnati praesentia primum munus est quod Ecclesia gente evangelizanda affert. Communio caritatis, qua inter se et cum Christo nectuntur participantibus coenae eucharisticae, est principium et finis totius missionis, donec veniat Dominus. Ideo celebratio eucharistica in oriente est simul celebratio mysterii paschalis. Vita Ecclesiae ita apparet ut aliqua Pascha perpetua. Ecclesiae praesentia in nationibus evangelizandis est ergo praesertim praesentia paschalis.⁷ deest. ⁸ deest. ⁹ activitatis missionalis. ¹⁰ deest.



5

EXC.MUS P. D. IOANNES KODWO AMISSAH
Archiepiscopus Litoris Capitis

Ne patientiam vestram, venerabiles Patres et omnes adstantes in Christo dilecti, abutar, neve tempus Sacrosancti Concilii pretiosissimum perdam, multa mihi dicenda, quae ab aliis iam dicta, praetermitto. Aliqua tantum ex capite recentiori aetati accommodationis necnon indolis pastoralis adnotare liceat.

Schema nostrum ne mentionem quidem facit et etiam minus tractat de illo « ente iuridico-missionali » omnino novo ac recenti in historia activitatis missionalis, scil. novella Ecclesia cui praeest Ordinarius indigena e clero dioecesano cum subsidiis et facultatibus haudquaquam sufficientibus ad finem huiusmodi activitatis missionalis exsequendum. Desiderandum valde est — etiamsi de hoc ente in historia activitatis missionalis novo in schemate nostro ex professo non tractatur — duo saltem ex parte ipsius entis novi expetenda atque optabilia plenius tractentur, nempe: *a*) Necessitas praevalens necnon indispensabilis atque adhuc persistens Institutorum missionalium; et *b*) Ordinatio causarum necessitudinis inter Ordinarios harum Ecclesiarum novellarum et haec illustrissima atque animosa Instituta missionalia.

A. Missionalia Instituta. O vos Instituta, quae ex professo dicuntur Missionalia, Instituta i. e. ad laborem missionalem sive ad id ipsum sive per circuitionem et tacite fundata, utinam linguam auream S. Chrysostomi, aciem intellectualem S. Augustini, perspicuitatem Divi Thomae, necnon mirabile ingenium poeticum Virgilis habeam ad laudes vestras iure meritas cantandas, et ad illustrandum fundamentum theologicum ac pragmaticum necessitatis persistentis et actualis Institutorum apostolicorum vestrorum! Dignetur Sanctus Paraclitus non solum commissionem conciliarem illuminare ut necessitatem in schemate de hoc themate tractandi perspiciat, sed etiam membra eiusdem commissionis adiuvere ut revera hoc thema tractent ea perspicuitate theologica et biblica atque ea aestimatione practica quae par sit. Hoc valde optandum est ut quavis hoc ex capite diminutio vocationum ad haecce Instituta missionalia praevertatur.

Consideratis speciatim eis quae a Summo Pontifice feliciter regnante dicta die canonizationis Ss. Martyrum Ugandaënsium, haud dubitandum est quin omnes Ordinarii loci huiusmodi vocationes ad Instituta missionalia sustentent, suffragentur atque alant.



B. *Ordinatio causarum necessitudinis Ordinarios loci inter et Instituta Missionalia*. Velit Concilium Sacrosanctum in schemate votum exprimere in hanc sententiam, ut, ad hunc finem, a competente auctoritate conficiatur Instructio auctoritativa, quae necessitudinem inter Ordinarios indigenas e clero saeculari novellarum Ecclesiarum et Instituta missionalia in huiusmodi dioecesibus laborantia ordinet.

Non ignoro in schemate nostro, pag. 8, linn. 15-24 consilium generale ac latum quoddam allatum esse. Sed hoc consilium generale prorsus insufficiens est, neque problematis cornua in manibus fortibus solutionemque afferentibus arripit. Saepe enim saepius accidit quod antequam Ordinarius, noviter tali novellae Ecclesiae constitutus, problematum necnon status dioeceseos suae gnarus sciensque factus fuerit, en Institutum missionale, cum contractu iam parato ac subsignando — nonnunquam intempestive ante installationem vel possessionem dioeceseos captandam.

Ratione habita igitur de eo quod talis Ordinarius 1. officio suo novicius adhuc est, 2. saepe dioeceseos ipsiusque status rerum communium haud gnarus est, et 3. altera ex parte, cum sufficientem numerum sacerdotum propriorum non habeat, missionariis Instituti absolute adhuc eget, quaeritur num contractus iste, iam praeparatus ac subsignandus, revera a duobus partibus vere liberis et in aequo sibimetipsis stantibus subsignetur?

Cum ergo Instructio similis, a Sacra Congregatione de Propaganda Fide anno 1929 edita, ordinansque relationes inter Instituta missionalia et Ordinarios eisdem Institutis pertinentes, iam exsolescat, Concilium Sacrosanctum hoc in schemate nostro Instructionem aliam similem, recentiori aetati temporibusque nostris accommodatam, necnon isti enti in historia activitatis missionalis prorsus novo propriam et congruentem postulet. Qua in Instructione dentur principia generalia quibus ea quae dicuntur in pag. 8, linn. 15-24 schematis nostri, ad exitum felicem perducantur. Hoc imperat et flagitat finis Sacrosancti Concilii pastoralis necnon scopus aetati recentiori nostrae accommodationis seu « aggiornamento »!

Uti iam explicatum est ab aliis, inter quos enumerandi sunt omnes cardinales qui sabbato locuti sunt *et exc.mus D. Iacobus Moynagh*,¹ activitas missionalis, cum sit maximi momenti et pars perenniter essentialis totius missionis Ecclesiae a Iesu Christo Fundatore suo acceptae, postulat — *i. e. haec activitas missionalis*² — a Concilio Sacrosancto schema penitus planeque elaboratum. Ad minimum schema debet esse eodem gradu eademque perfectione ac schema *de apostolatu laicorum*, qui apostolatus nihil aliud ac pars totius activitatis Ecclesiae est.



Itemque ea quae dicta sunt de libertate conscientiae in re religiosa in schemate *de Oecumenismo* postulant ut schema nostrum funditus recognoscendum sit et argumentis theologis et biblicis magis magisque suffulciendum, ne indifferentismo in terris sic dictis missionum ansa praebatur, neve afferatur taedium ac insulsitas ad spiritum et fervorem eorum illustrissimorum et illustrissimarum, qui et quae ibi in vinea Domini laborent. Haec argumenta theologica ac biblica halitu necessario ad excitandum in conscientia christiana sensum permanentiae et pressurae dstringentis muneris essentialis Ecclesiae, *scil. muneris missionalis*,³ schema nostrum exornare possint.

Faxit Deus ut inter nota huius Concilii Sacrosancti Vaticani II characteristicam et distinctam adnotentur et annumerentur non solum indoles ecclesiologicala et oecumenica, sed etiam et speciatim indoles missionalis! ...⁴ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest. ³ deest. ⁴ His quae protuli omnibus adhaerent plurimi Patres missionales Conciliares.

6

Exc.MUS P. D. FULTON I. SHEEN

Episcopus tit. Caesarianensis, aux. Neo-Eboracensis

Venerabiles Patres,

Paulus VI, missionaliter regnans, nobis proposuit schema hoc « perpoliendum ac excolendum esse ». Optime quidem.

Ad hoc faciendum, concedatur unicuique membro commissionis proprium peritum seligere.

Loco quaestionis theologicae « *quid* sunt missiones? », nobis potius ponitur quaestio *practica*: « *Ubi* sunt missiones? ».

Numquid missiones considerandae sunt *exclusive* tamquam territoria in illis — quas vocant — non christianis regionibus existentia?

Aut verum est missiones haberi etiam in aliis regionibus, ubi nempe pauci sacerdotes, paucae ecclesiae et magna indigentia experitur?

Responsio huic quaestioni simpliciter datur: missiones ambo sunt.

Servus sum missionum. Attamen, perdurantibus tribus Concilii sessionibus, perplurimi episcopi qui in indigentia versantur, meum locum in aula conciliari adierunt. Ipsi e regionibus iuridice non missionariis proveniebant ubi septem vel decem sacerdotes habentur qui de amplissimis territoriis curant. Num christianum est, num catholicum, num ca-



ritate Christi dignum est, illis respondere: « Ad territoria missionum non pertinetis »?

Nonne verum est collegialitatem episcoporum nobis responsabilitatem missionariam imponere, non tantum pro territoriis abhinc trecentos annos statutis, sed potius « pro totius mundi salute »? ...¹

Quare Paulus VI, pastoraliter regnans, perraro, in Encyclicis Litteris *Ecclesiam suam* termino « missio » utitur? Quodnam verbum — loco « missionis » — ipse adhibet? *Colloquium*. Hoc verbum septuagies septies in Encyclicis invenitur. Colloquium idem est ac manifestatio caritatis erga omnes homines. Ita missionis conceptum ampliorem fecit.

Nos episcopos, in Concilio, dividi non decet, dicentes: « Ego sum Pauli, ego sum Apollos, ego vero Cephae, ego autem Christi. Divisus est Christus? » ...²

Esse non possumus sicut sacerdos et levita parabolae boni Samaritani qui hominem « semivivum » praeterierunt, dicentes: « Ad nostram congregationem non pertinet ».

In Corpore ...³ mystico, nec novellae neque veteres habentur Ecclesiae, quia omnes sumus cellulae viventes Christi.

...⁴ Missiones esse non debent unicus aspectus vitae Ecclesiae qui « aggiornamento » non admittit.

Non sumus Ecclesia residentialis Ecclesiam missionariam alloquens, quia — sicut Summus Pontifex ait — « Ecclesia universa, missionalis est ». Quod Deus coniunxit — nempe Ecclesiam et Missiones — nullum schema separari potest.

Solutio vere catholica problematis ubicationis missionum invenitur in n. 4 schematis, ubi proponitur institutionem « Consilii centralis Evangelizationis ». Hoc Consilium omnes differentias iuridicas transcendit atque flexibilitatem activitati missionali confert, secundum diversas circumstantias.

Nemo sit qui timeat diminutionem quamdam auxilii pro sua missione pati, si alii fratres adjuvantur. In Ecclesia primaeva, simul ac fratres « cor unum et anima una » facti sunt, « omnia illis communia evaserunt » ...⁵

Secunda observatio. Aliquis Patrum proposuit nullam mentionem, in hoc schemate, de paupertate fieri. Enixe vos rogo, venerabiles Patres, ut paupertas a Concilio fortiter affirmetur.

Mundum respicite. Digitum vestrum ponite super trigesimum parallelum: omnem terram circuite, vestram manum levantes circa Chinam. Quid habebitis? Invenietis maiorem partem prosperitatis *super* trigesimum parallelum, atque maiorem partem paupertatis *infra* eundem parallelum, i. e. in Africa, Asia et America Latina: in territoriis missionariis.



Sicut castitas fructus fuit Concilii Tridentini, oboedientia fructus Vaticani I, ita paupertas proclametur uti fructus huius Concilii.

In mundo vivimus, in quo bis centum milliones pauperum dantur, qui votum paupertatis, cras, perlibenter susciperent, si eis possibilitas esset manducandi, bene vestiendi, domum possidendi, eodem modo quo mihi ipsi, atque nonnullis qui votum paupertatis suscipiunt...⁶

Magna pars episcoporum in hac aula praesentium, in indigentia vel in persecutione vivunt: atque ipsi ex *omnibus* populis et nationibus proveniunt.

Sicut tantum Christus vulneratus Thomam dubitantem convertit, ita tantum Ecclesia in paupertate vulnerata, mundum non credentem convertet.

Conclusio. *Venerabiles Fratres*,⁷ si spiritum oecumenicum habemus erga fratres nostros qui *extra* Ecclesiam sunt, eundem spiritum habere debemus pro fratribus qui *in* Ecclesia sunt. Dominus qui apostolos iussit: « Euntes, docete omnes gentes », idem Dominus fuit qui ingemuit: « Misereor super turbam ». Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ (n. 4). ² (1 Cor. 1, 12). ³ Christi.
⁴ Animae sunt, non territoria, quae missiones constituunt. ⁵ (Act. 3, 32).
« Qui multum, non abundavit, et qui modicum, non minoravit » (2 Cor. 8, 15).
⁶ Propter hoc Summus Pontifex nobis dixit: « Huic sacrosanctae Synodo... constituitur ad Evangelium *largius* et efficacius evulgandum (et) *nova* muniatur itinera » (6 nov. 1964). ⁷ deest.

Moderator: Audiant Patres! Quia visum fuerit moderatoribus materiam de schemate praesenti opportune, et nunc in modo speciali opportune et sufficienter tractatam esse, ponitur Patribus haec quaestio: « An placeat Patribus utrum concludatur disceptatio de schemate *de activitate missionali Ecclesiae?* ».

Illi Patres qui volunt accipere hanc propositionem stent suis locis. Videant assignatores quomodo Patres se habeant quoad propositum. [*Patres surgunt fere unanimiter*].

Verbum finale faciet nunc relator schematis, exc.mus D. Stanislaus Lokuang.



EXC.MUS P. D. STANISLAUS LOKUANG

Episcopus Tainanensis, Relator

Venerabiles Patres,

Ad finem imponendam disceptationum *de activitate missionali Ecclesiae*, nos, membra commissionis de missionibus, vobis confitemur gaudium nostrum fuisse audire affirmationes ab omnibus Patribus verba facientibus de momento atque utilitate propositionum; gaudium etiam nostrum fuisse audire de insufficientia harum propositionum atque proinde de utilitate nostrorum laborum iterum exsequendorum, quos commissio nostra certe non recusabit.

Confitemur etiam vobis nos maxima diligentia omnes animadversiones in aula prolatas vel in scriptis datas examinaturos iri.

Nunc attentionem vestram peto pro meis verbis sequentibus. Venerabiles Patres, in hac aula conciliari, em.mi atque exc.mi Patres, qui verbum petierunt fere omnes nomine plurimorum Patrum, locuti sunt de magna gravitate ac momento problematis missionalis pro tota Ecclesia, quod in praeclaram laudem cedit ipsius Concilii. Multa quidem audivimus de modo quo schema propositum circa activitatem missionalem Ecclesiae redactum fuisse a commissione competenti et ab ipsa unanimi suffragio approbatum.

Quibus praemissis, nomine em.mi card. praesidis commissionis de missionibus, in primis gratias ago Patribus de amore ac de studio erga missiones atque vobiscum communico quae sequuntur: opportunius videtur quod schema propositum *de activitate missionali Ecclesiae* iterum reficiatur a commissione competenti, sed, quo facilius ipsi Patres eiusdem commissionis suum laborem perficiant, enixe rogantur Patres conciliares ut, antequam ab Urbe discedant, secretariatu generali Concilii scriptis tradant observationes, vota atque optata concreta et ad rem facientia, introducenda forsitan in novum schema, quod proxima sessione conciliari Patribus praesentabitur et vestro iudicio subiicietur. Dixi. Gratias. [*Plausus*].

Secretarius generalis: Patres venerabiles, plausus iuridice nil dicunt, quapropter visum est moderatoribus ut propositum exc.mi relatoris vestris suffragiis subiiciatur, nam haec Ordo postulat.

Quapropter a vobis, Patres venerabiles, quaeritur — auditote bene: Utrum placeat schema propositum *de activitate missionali Ecclesiae* iterum refici a commissione competenti?

Suffragium dabitur per schedulas, quae nunc distribuentur. Qui



volunt ut schema reficiatur dicent *placet*; secus, *non placet*. Haec responsio *non placet* non est perpulchra, attamen attendendum est praesertim ad primam responsionem. Qui diceret *non placet*, vellet ut hoc schema suffragationi subiiciatur, uti patet.

Respondeatis, Patres, per schedulas; et rogamus etiam Patres, qui sunt in thermopoliis, ut quantum possint veniant in aulam, nam suffragatio est semper res magni momenti in Concilio. Gratias.

Moderator: Interea transitus fit ad discussionem circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis*.

Plures voces: Nomina..., nomina..., nomina...

Moderator: Loquatur exc.mus D. secretarius.

Secretarius generalis: Lego nomina eorum, qui verbum facere postulaverunt circa n. 24 cap. IV: em.mus ac rev.mus D. card. Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaënsis in Tanganyka; rev.mus P. Geraldus Mahon, sup. gen. Soc. Mission. S. Ioseph de Mill Hill; exc.mi DD. Franciscus Šeper, arch. Zagrabienensis in Jugoslavia; Floyd Begin, ep. Quercopolitanus in Stat. Foed. Amer. Sept.; D. Paulus Taguchi, ep. Osakensis in Japonia; D. Victorius Costantini, ep. Suessanus in Italia; D. Gilbertus Baroni, ep. Albinganensis in Italia.

Deinde nomina eorum qui verbum facere postulaverunt circa cap. IV, n. 25: em.mus ac rev.mus D. card. Bernardus Alfrink, arch. Ultraiecentensis in Neerlandia; exc.mi DD. Alfredus Ancel, ep. aux. Lugdunensis in Gallia; Michaël Ntuyahaga, ep. Bujumburiensis in Burundi; Iacobus Guilhem, ep. Valleguidonensis in Gallia; Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania; Philippus Hannan, ep. aux. Washingtonensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

Em.mus P. D. LEO IOSEPH card. SUENENS, *moderator pro secunda parte congregationis generalis*: Transitus fit ad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis*, ad cap. IV, sub n. 24.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, mihi nuntiatum est aliquos nondum intellexisse sensum quaesiti; quapropter repeto.

Quaeritur a Patribus: Utrum placeat schema propositum *de activitate missionali Ecclesiae* iterum refici a commissione competenti? Responsio est: *placet* vel *non placet*. Gratias.



EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA

Episcopus Bukobaënsis

Venerabiles Patres,

In n. 24 schematis et in annexis permulta optime dicuntur de solidariedade familiae populorum fovenda. Attamen forsitan clarius tradi possunt ultima principia, quibus hae normae innituntur...¹

Fundamenta solidariedade universalis doctrinalia Pius Papa XII in compluribus nuntiis et Ioannes Papa XXIII in Litteris Encyclicis *Mater et Magistra*, ac *Pacem in terris* praeclare statuerunt. Quae fundamenta textus etiam noster expressioribus verbis declarare debet, ut omnes facile percipiant de re agi gravissima, quae non a momentariis sensus motibus sed a recta officiorum iustitiae et caritatis intelligentia pendeat.

1. Obligatio, qua omnes homines et populi mutuo sese aestimare, amare et adiuvere tenentur, vim suam repetit *a communi nostra natura atque origine et a communi nostra salutis ac redemptionis historia*. Genus humanum una est familia, quae a Deo venit et ad Deum redit, qui « ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae » ...² effecit. « Non est personarum acceptor Deus » ...³, sed « omnes homines vult salvos fieri » ...⁴ et eos « praedestinavit in adoptionem filiorum per Iesum Christum » ...⁵, nihil discernens inter stirpes, linguas ac nationes. « Verbum caro factum est et habitavit in nobis. Illi carni adiungitur Ecclesia et fit Christus totus, caput et corpus » ...⁶

Hodie potissimum, quando artibus et scientiis mirifice progressis urbes, nationes ac continentes arctissime inter se coniunguntur et communicant, homines ubique terrarum solidariedade, necessitatem videlicet communionis et coniunctionis firmissime sentiunt et ex animo coordinationem et pacem universalem exoptant. Hoc unitatis desiderium et hic cooperationis sensus manifestant nobis voluntatem Dei paterne providentis, ut omnes homines et populi fraterne in genuinam coalescant familiam.

2. *Christus Dominus expressis mandatis* discipulos et omnes homines bonae voluntatis « in viam pacis » ...⁷ direxit et clare docuit praecepta, quae e communitate naturae et gratiae emanant. Magna charta pacis et solidariedade est mandatum caritatis, quod Dominus nobis iniunxit: « Diliges proximum tuum sicut teipsum » ...⁸

Haec caritas numquam est otiosa. « Operatur etenim magna, si est;



si vero operari renuit, amor non est » ...⁹. « Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate » ...¹⁰

3. Ex profundiore intelligentia vinculorum oeconomicorum atque culturalium, quibus populi hodie connectuntur, novimus aequam inter populos distributionem et rectum usum bonorum terrae ad officia iustitiae pertinere. Bona enim terrae a Deo pro omnibus hominibus et populis creata sunt. Divitiae ergo administrandae et dispensandae sunt pro communi omnium utilitate et progressu. Vividiorum cotidie conscientiam harum obligationum adipiscimur. Proinde cum egoismo individuali etiam egoismum collectivum nationum non laudamus, quia omnes conferre debent ad bonum commune totius familiae humanae. Unusquisque ante tribunal Domini rationem reddere debet de usu et de administratione bonorum, quae Deus ipsi ipsiusque nationi concedit.

Vera systematis oeconomici conversio requiritur. Bona materialia, quae hucusque lucro et cupiditati paucorum inservierunt, ad progressum totius familiae humanae administranda sunt. Haec erit oeconomia mundialis, utilitatem videlicet familiae humanae quaerens; quae omnibus perpensis mox erit efficacior et utilior quam oeconomia egoistica, quae lites, seditiones ac bella gignit.

Id, quod nationes egentiores magis quam subsidia materialia desiderant, est *benevolentia, aestimatio, fiducia, honor et amicitia*. Nam in communitate nationum istae nationes partes suas agere cupiunt. Egent quidem multis subsidiis, sed ipsae quoque sociam operam conferre possunt et volunt ad progressum mundi. Nolunt tractari quasi nihil agere possint, sed omnia mere passive recipere debeant. Subsidia ergo eo tendere oportet, ut ipsae se adiuvere possint. Praesertim ergo iuvenes in nationibus pauperioribus ita instrui debent, ut et ipsi per se progressum oeconomicum et sociale promovere possint.

Valde laudanda et pro viribus promovenda sunt instituta caritativa et *coetus ac consilia internationalia*, quae in re politica ...¹¹ ac medica ...¹², in educatione ...¹³ et in labore ...¹⁴, in sublevanda miseria ac fame praeclara cooperationis mundialis iam ediderunt exempla.

Ex recto ordine oeconomico et sociali oritur pax inter homines. Ex recto ordine internationali oritur pax inter stirpes et nationes. Hanc pacem ardentissime exoptamus et a Christo imploramus, qui est « pax nostra » ...¹⁵ et homines peccati dissentione dispersos in suam congregat familiam. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Insuper aliqua alia consecutaria practica addi possunt. ² (Act. 17, 26). ³ (Act. 10, 34). ⁴ (1 Tim. 2, 4). ⁵ (Eph.



1, 5).⁶ (AUG., *In ep. Ioann. ad Parthos*, tr. 1, 2).⁷ (Lc. 1, 79).
⁸ (Mc. 12, 31).⁹ (S. GREG. M., *Hom. in Ev.* 30, 2).¹⁰ (1 Io. 3, 18).
¹¹ (UNO).¹² (OMS).¹³ (UNESCO).¹⁴ (OIT).¹⁵ (Eph.
2, 14).

8

REV.MUS P. D. GERARDUS MAHON

*Superior generalis Societatis Missionariorum S. Ioseph de Mill Hill**Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,*

Quae in hac sectione modo condenseo et apto dicta sunt tangunt quaestiones maximi momenti mundi huius temporis: fames et paupertas mundialis, complicata explosione sic dicta populationum. Et ideo amplificatione valde digna sunt.

Concilium Vaticanum I in mediam incidit revolutionem industrialem. Duobus annis antea Karl Marx scripserat opus suum *Das Kapital*. Concilium autem nihil dixit de iustitia sociali; nihil quod consolationi et adiutorio esse potuisset plebi proletariae, victimis inhumanarum legum oeconomicarum. Vix exspectari potuit homines illos depressos ex miseria sua cum gaudio oculos elevaturos esse ad definitionem infallibilitatis.

In hoc Concilio Vaticano II, per duos annos et dimidium cum omni diligentia tractavimus de rebus summi utique momenti pro vita interna Ecclesiae. Sed nunc aliter ac in primo Concilio audivimus clare expositam necessitatem iustitiae socialis internationalis. Et opportunissime.

Hodie enim disparitas inter *nationes* divites et *nationes* miseras non minor est quam antea erat disparitas inter classes in singulis nationibus. Hodie non *classes* proletariae, sed *nationes* proletariae a Concilio hoc exspectant actionem efficacem ad iustitiam socialem quae inter nationes vigere oporteat implendam.

Ut missionarius, expertus scio quantopere missionarii anguntur de pauperibus in hoc mundo. Missionarii enim laborant in medio illo tertio mundo — « le tiers-monde » — ubi sicut card. Landázuri ex Lima nos monuit triginta quinque milliones hominum singulis annis fame moriuntur vel effectibus famis: ubi quadringentae milliones hominum actu fame laborant; ubi mille quingenti milliones morbis afflicti sunt ex sequelis malnutritionis.

Haec facta horrenda nos omnes excitent et sollicitos reddant necesse est. Sunt autem qui activitatem socialem et socio-oeconomicam habent ut opus missionale secundarium solummodo, ut diverticula quae non constituent partem essentialem in missione salvifica Ecclesiae. Sed, venerabiles Patres, aliter docuit Dominus Noster in parabola boni Sama-



ritani, increpans hanc nimis clericalem sententiam et mentalitatem. Missionariorum est totum Iesu Christi evangelium praedicare, verbis et factis, non partem eius spiritualem tantum. Christus pertransiit benefaciendo. Activitas *missionalis quidem spiritualis*¹ summi momenti est et pars maior erit laboris missionalis. Sed haec oportet facere et illa non omittere.

Hodie ubi existunt multae gentes pauperes, numero quidem multiplicantes, re oeconomica autem minus progredientes, simplex adiutorium Samaritani mutandum est in auxilia caritativa socio-oeconomica in campo mundiali.

His dictis, propono sequentia: 1. Gravitas et urgentia rei exigit ut in schemate reviso quaestio de debellanda fame et miseria debeat esse una ex principalibus thematibus.

2. Schema urgere debet necessitatem educandi omnes christianos ad hoc, ut intime se responsables sentiant pro iustitia sociali erga egenos mundi, mediantibus operibus quae extirpationem miseriae in mundo ut finem sibi habebunt. Conscientia christiana bene formata scandalosum consideraret quod episcopi qui opem quaerunt pro populis suis egenis saepe frustra petunt.

3 et ultimo. Ecclesia debet oecumenica actione coadunare vires tertii mundi christianorum ut bellum sacrum contra miseriam in altero illi tertio mundo prosequatur. Ideo sicut nuper ab em.mo card. Frings et ill.mo relatore Iacobo Norris opportunissime adumbratum est, instituendus est secretariatus specialis ut bellum hoc ex parte Ecclesiae efficaciter geratur. Praesit ei vir vere insignis, qui iam persona sua et vita exprimat Ecclesiae de pauperibus sollicitudinem. Quod attinet specifica munera talis secretariatus, mihi missionario licet anticipare saltem unum: spectabit ad dictum secretariatum stimulare et coadunare participationem missionariorum in evolutione socio-oeconomica.

De aliis muneribus in scriptis agetur.

Concludo. Venerabiles Patres, post discussiones adeo prolongatas de rebus internis Ecclesiae, actione, fere dixerim, spectaculosa opus est ex parte Concilii ut mundo, ut nationibus, persuadeatur Ecclesiam non minus sollicitam esse de duris huius mundi realitatibus quam de suis rebus domesticis. Ecclesia non est sacer spectator in luctu hominum pro vita sua, non est orator, quae diserte difficultates mundi discutiat, sed tota in praelio humano immersa, conscia missionem suam non esse salvare animas incorporeas sed personas humanas in carne et sanguine. Dixi et gratias.

In textu scripto tradito: ¹ spiritualis quidem.



Exc.MUS P. D. FRANCISCUS ŠEPER
Archiepiscopus Zagradiensis

Venerabiles Patres conciliares,

Inter bona, immo excellentia, quae in hoc textu de solidariedade familiae populorum promovenda leguntur, *aliqua — ut mihi videtur*¹ — lacuna subrepsit, quae omnino *supplenda*² est: nihil habetur de problema *migrationum* hominum ex terra in terram, quod hodie vulgo *quaestio emigrantium* vocari solet. De solidariedade inter populos sermo sincerus esse nequit praescindendo a quaestione de emigratione et immigratione, immo haec quaestio emigrantium dicenda est verus lapis probationis istius solidariedades. Problema emigrantium reapse multiplex est: Sunt emigrantes politici, quorum sors miserabilis conscientiam solidariedades inter homines et populos etiam tangere debet, cum ius ad libertatem politicam in mundo hodierno communiter computetur inter iura, quae personae innocenti negari nequeunt ...³. Sed ego nunc, quaestionem emigrantium politicorum paucis tantum memorans, ad quaestionem *migrationum ex ratione oeconomica* attentionem vestram, Patres, convertere cupio.

Schema nostrum loquitur de *populis, nationibus*, quod passim in mente identificari videtur cum *statibus* seu civitatibus. Potius sermo deberet esse de hominibus. *Nam*⁴ homines per se priores sunt quam status et nationes. Non sunt homines propter nationes et status, sed status sunt propter homines, ex natura rei. Genus humanum qua tale praevallet super populos et status. Terram et omnia bona terrae Deus dedit primarie *generi humano, seu communitati hominum, quatenus sunt personae libertate praeditae*; secundarie tantum populis et statibus. Hi eo inservire debent, ut personae melius et liberius et efficacius crescant atque evolvantur. Quapropter problemata, quae hic in textu enumerantur, minime in sola linea *nationum* et *statuum* solvi possunt, proinde ac si status et populi qua tales primarii proprietarii omnium bonorum terrae essent.

Quaestiones sociales et oeconomicae saepe intra fines unius nationis minime possunt veram et dignam solutionem invenire, sicut valor et dignitas personae humanae requirit. Id etiam adiutoriis et subsidiis aliarum nationum obtineri nequit. Superpopulatio, terra minus fertilis, industria non evoluta, haec et alia sunt problemata, quae situationem vitae singulorum hominum multum aggravare possunt et quae solutio-



nem urgentem quaerunt, procrastinationem non permittunt. Dum in aliis regionibus vasta territoria nondum excolta adsunt, aut aliae possibilitates vitae melioris et decentioris dantur, nullae rationes sive politicae sive nationales, nullae rationes stirpis et culturae praevalere debent, quin tales quaestiones etiam ope migrationum ex una natione in aliam solvantur. Gloria nationis, puritas stirpis, autonomia culturalis, et similia, non sunt summum bonum, quod in detrimentum solidaritatis generis humani qua talis conservari deberet!

Ut homo se vere liberum sentiat, non sufficit generalis proclamatio libertatis politicae, sed requiritur proportionata conditio oeconomica, quae personae humanae procurat iustae independentiae facultatem realem. Promotio igitur personarum implicat talem independentiam oeconomicam. Migrationes hominum cum intentione et fine, ut sibi et familiae suae dignam conditionem oeconomicam acquirant, per longum adhuc tempus necessariae praevidentur. Contactus autem et commixtiones populorum, stirpium et coetuum culturalium, quae inde provenire poterunt, nullatenus inter mala computanda sunt, sed e contra repraesentant unam ex viis, ut quamprimum assequatur maior generis humani unitas et desiderata communitio culturalis totius generis humani.

In antiquis temporibus migrationes *populorum* repetitive exoriebantur; expansiones et occupationes territoriorum igni et ferro exsequebantur. Necessarium iam est, ut tales violentiae proprii « spatii vitalis » (quem dicunt) allargationes in posterum penitus evanescant, et ut bella quae inde exardescebant, nullum iam locum habeant. Oportet igitur, ut aequilibrium oeconomicum et spatiale inter nationes nunc ope pacificae emigrationis et immigrationis *hominum* et familiarum eveniat, quae competencias politicas et nationales minime implicarent...⁵

Per se patet, quod Concilium modos et rationes, quibus haec in concreto in actum deducantur, praescribere nequeat, nec id ad Ecclesiam pertinet...⁶. Principia tamen...⁷ fundamentalia hic proclamare possumus et debemus, cum manifeste agatur de re essentiali in solidaritate generis humani promovenda.

Ecclesia, quae ex sua definitione *vel descriptione*⁸ peregrinans in hoc mundo existit, i. e. aliquomodo ex natura sua sortem emigrantium vivit et suffert, quomodo posset de quaestione emigrantium non esse sollicita? Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ gravis. ² complenda. ³ Qui hoc iure, igitur, in propria patria privatus fit, merito in aliis terris exspectat humanam solidaritatem, tanquam testimonium veri illius sensus dignitatis personae humanae, quam inter acquisita maiora nostrae civilisationis adnumeramus. ⁴ Et tamen.



⁵ Papa Ioannes XXIII in encyclicis litteris *Pacem in terris* ius emigrandi ponit inter iura uniuscuiusque hominis. De hac quaestione Pius XII iterato locutus est. Nec schema nostrum igitur de hac re tacere potest. Mentio illa, quasi per transennam in Adnaxis posita, non sufficit. Requiritur accuratior istius problematis determinatio in ipso textu stricte conciliari, quae sub puncto speciali immediate post punctum 6 inseratur. Novum punctum componatur ita ut sequentia enuntiata sint: Homo habet ius ex iustis causis emigrandi e confinibus propriae patriae. Ideo nationes, quae difficultatibus eiusdem generis minime premuntur, ius immigrandi nulli denegent. Reditus in propriam patriam emigratis fiat facilis, possibilitas autem ut cum propria familia aut consanguineis relationes teneant efficiatur expeditior. In nova patria, ad salaria variasque laboris rationes quod attinet, civibus natis prorsus aequales haberi debeant, nec ullae discriminationi quacumque ex causa expositi. ⁶ Utrum id fiat ita ut status inter se contractus de transmigrationibus civium stabiliant, an ita ut instrumentum internationale constituantur, quod arbitratum de problemata migrationum facit, cuique singulae nationes ultro se submittere decident, aut aliis idoneis viis et mediis, id a nobis minime dependet, et iuxta condiciones et situationes concretas ordinandum erit. ⁷ illa. ⁸ deest.

10

EXC.MUS P. D. FLOYD LAURENTIUS BEGIN

Episcopus Quercopolitanus

*Venerabiles Patres, carissimi adstantes et operatissimi Assig-
natores,*

*Ratione solidaritatis familiae humanae libenter adhaereo dictis
hucusque a Patribus et a Laico de necessitate solvendi, si possibile sit,
modo globali et efficaci problema paupertatis et miseriae in mundo.
Velim proponere autem solutionem huius problematis, quae hic et nunc
ab omnibus bonae voluntatis adoptari possit cum effectu quasi imme-
diato et infallibili.¹*

Humiliter peto ut haec Sacra Synodus paulisper in mentem revocaret systema oeconomicum a Deo Optimo institutum pro bono oeconomico necnon pro sanitate et salute cuiusvis hominis in mundo, totiusque societatis humanae.

Hoc systema oeconomicum, divinitus nobis traditum, solutionem praeberet problemati paupertatis et destitutionis in mundo dum sanctitatem quam maxime promoveret.

Inveniuntur in mundo quamplurimi pauperes et inopes. Egentes sunt autem, non quia desunt in mundo bona necessaria pro vita humana. Deus Omnipotens et Providens, qui bona temporalia ex nihilo creat, abundantiam, et superabundantiam talium bonorum creavit.

Christus Dominus nobis monuit, « Semper pauperes habetis vobis-



cum » ...². Cur *autem*³ pauperes nobiscum semper manent? Duplici, ut mihi videtur, ratione: ex una parte, quidam, inspirante Domino, paupertatem voluntariam amplectunt — de his nullum problema; revera « Beati sunt » —; ex alia parte autem, permulti paupertatem experiuntur quia nesciunt vel negligunt systema oeconomicum a Deo revelatum, systema scil. « Decimarum et Primitiarum ».

Pluries in Vetere et etiam in Novo Testamento Deus loquitur de decimis et primitiis. Revocamini verba in libro Malachiae: « Revertimini ad me et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum... Et dixistis: in quo revertemur? In decimis et primitiis. Et in penuria vos maledicti estis... Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus in domo mea: et probate me super hoc, dicit Dominus; si non aperuero vobis cataractas caeli et effudero vobis benedictiones usque ad abundantiam et increpabo pro vobis devorantem, et non corrumpet fructus terrae vestrae, nec erit sterilis vinea in agro ... et beatos vos dicent omnes gentes » ...⁴

Christus decimas Pharisaeorum approbavit licet eorum iniustitiam condemnavit...⁵

S. Thomas praxim, legem et obligationem moralem decimarum tractavit in *Summa Theologica* (II-II, qq. 86 et 87).

Fontes Iuris Canonici per saecula demonstrant hanc praxim fuisse vere christianam, non mere iudaicam, quam praxim etiam Codex Iuris Canonici in can. 1502 adhuc laudat.

Legimus in Pontificale Romano nuper in usu monitionem episcopi, *allocutionem dandam ab episcopo*,⁶ occasione Dedicationis Ecclesiae. *Haec sunt verba Pontificalis*⁷: « Vos insuper moneo, Fratres carissimi, ut decimas quae sunt divina tributa, integre ecclesiis et sacerdotibus persolvatis. Haec sibi Dominus ad universalis domini signum reservavit ». Tunc Pontificale citat verba S. Augustini, sic: « Decimae tributa sunt egentium animarum. Quod si decimas dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis et animae consequeris. Non igitur Dominus Deus praemium postulat, sed honorem. Deus enim noster qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatus est recipere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturum ».

Deus in Vetere Testamento exigebat ab omnibus, *etiam pauperibus*,⁸ primos fructus et decimam partem cuiuslibet redditus, stipendii, lucri, incrementi pro sustentatione cultus, cleri, et caritatis, sed etiam promisit « Decimantibus » (sit venia verbo) abundantiam bonorum — *concludo* — *abundantiam bonorum*⁹ temporalium aliarumque benedictionum, et hanc promissionem Deus numquam retractavit. Quare si quis, etiam pauper vel pauperrimus voluntarie Deo redderet primam



decimam partem sui redditus, praemium promissum reciperet et *etiam*¹⁰ valediceret egentiam. « Probate me super hoc », dicit Dominus. Deo ...¹¹ reddit contribuendo operibus religionis et caritatis. *Et*,¹² cum per decimas et primitias quis quaereret primum regnum Dei, et iustitiam, mereretur audire: « Haec omnia adiicientur vobis » ...¹³

Per talem praxim homo agnosceret dominium supremum et bonitatem infinitam ...¹⁴; exprimeret supremam fiduciam et confidentiam in Deo promittenti; disceret, modo efficaci et pratico, virtutes poenitentiae, mortificationis et abnegationis; remedium inveniret contra spiritum materialismi et debilitatem fidei, spei et caritatis; minueret, vel tolleret e corde suo inordinatam adhaesionem creaturis et bonis temporalibus; primum gressum faceret in via virtutis *et*¹⁵ paupertatis; removeret e vita sua *plurima*¹⁶ impedimenta *ad perfectionem*.¹⁷

Ni fallor, nos, voluntatis Dei praecones, vitae hominis in terra doctores, pauperum ...¹⁸ patres, nos, haud debemus celare...

Moderator: Exc.me Pater, faveas concludere.

Orator: Nos, haud debemus celare praxim tam efficacem pro bono temporali et spirituali hominum ubique terrarum...¹⁹ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Liceat mihi pauca dicere de vita oeconomica sub n. 23 huius schematis. ² (*Mt.* 26, 2). ³ tamen. ⁴ (*Mal.* 3, 6-12). ⁵ (*Mt.* 23, 23). ⁶ deest. ⁷ deest. ⁸ non exclusis pauperrimis. ⁹ deest. ¹⁰ deest. ¹¹ quis tributa. ¹² deest. ¹³ (*Lc.* 12, 31). ¹⁴ Creatoris. ¹⁵ deest. ¹⁶ plura. ¹⁷ perfectiones. ¹⁸ nobis a Domino commissorum. ¹⁹ Eadem praxis decimarum et primitiarum alium effectum quasi in obliquo produceret — nempe meliorem sustentationem Ecclesiae localis et universalis — de qua hucusque in Concilio haud quidem verbunculum audivimus. Talis praxis, ni fallor, apte provideret pro missionibus, pro operibus caritatis, pro clero et cultu. Ecclesiam redderet independentem non tantum libertate religiosa sed religionis. Nihilominus, in favorem pauperum eorumque securitatis praetermitto elaborationem totius thesisi de bono temporali Ecclesiae. De hoc transeat. Quid igitur peto, mea interventione, a Patribus Concilii? Legem decimarum et primitiarum? nullimode. Licet sola et unica norma minima a Deo instituta pro oblatiis fidelium est Decima, non petam legem nec localem nec universalem hac in re. Peto tantum laudem, laudem benemeritum pro iis qui opera Dei sustentant oblationibus voluntariis et generosis et praesertim pro iis qui primam decimam partem eorum redditus Deo tradunt per tramitem operum religionis et caritatis. Textus meae emendationis secretariatus tradam et causam pauperum vestro iudicio et caritati laeto et humili animo commendo.

Textus additus:

Sub n. 23, in lin. 12, pag. 28, vel alibi addatur: « 8. Tandem, haec sancta Synodus, memor divinae institutionis “ decimarum et primitiarum ” nobis in Ve-



tere Testamento traditae et nunquam abrogatae, memor quoque praemiorum divinitus promissorum observantibus talem praxim, tam pro bono sive spirituali sive temporali individui hominis, quam pro bono spirituali et temporali totius Ecclesiae et societatis, valde laudat christifideles qui primam decimam partem redditus, stipendii, incrementi etc. Deo optimo reddunt, contribuendo operibus religionis et caritatis ». *Motiva*: 1. vide *Num.* 18, 26; *Mal.* 3, 7-12; et passim in V. T.; in N. T. vide *Mc.* 12, 43; *Mt.* 23, 23; *Lc.* 12, 31. 2. Vide C.I.C. c. 1496 et 1502. 3. Vide Notulae Canonicae in Codice sub can. 1502. 4. Vide *Summa Theol.* II-II, q. 86, a. 1-4; q. 87, a. 1-4. 5. Vide *Pontificale Romanum, De Ecclesiae Dedicatione*, in allocutione ab episcopo proferenda quae incipit « Quanto fratres... Vos insuper moneo... ut decimas... ». 6. Vide *Analecta Iuris Pontificii*, vol. XI, pag. 477: « Tradition Canonique sur l'obligation » etc. et Vol. XII, p. 222; Vol. XIII, p. 686; Vol. XVI, p. 1039: Dimes Paroissiales. 7. Concilium Oecumenicum Vaticanum II (nostrum) passim agit de « spiritu paupertatis » de « inordinata adhaesione ad bona temporalia », de « distributione bonorum materialium », de « Ecclesia renovanda », de « Deo primo colendo ». Quae omnia optime curantur apud eos qui praxim decimarum adoptant. 8. Non quaero *legem* sed *laudem* pro fidelibus generosis qui Deo promittenti revera fidunt, et amant usque ad sacrificium substantiale. 9. Adnecto epistolam alicuius laici dioecesis Oaklandensis, qui libenter et pulchre scribit de decimis (epistola Ioannis Donovan).

Secretarius generalis: Communico vobis, Patres, *exitum suffragationis factae*:

Votum dederunt Patres	1.914
Dixerunt <i>placet</i>	1.601
<i>non placet</i>	311
<i>placet iuxta modum, extra chorum,</i> <i>nonne?, est tantum</i>	1
et suffragium nullum	1

Ergo placuit Patribus propositio facta a commissione de missionibus. Ea propter hoc schema *de activitate missionali Ecclesiae* perpolietur, perficietur et, ubi opus erit, reficietur iuxta Patrum animadversiones.

Rogantur Patres, ut iam audistis ab exc.mo relatore, ut, antequam ab Urbe discedant, nostrae secretariae generali scriptis tradant alias observationes, vota atque optata *concreta* ad rem facientia, quae possint introduci in novum schema, quod postea Patribus praesentabitur. Gratias.

Moderator: Velit loqui nunc em.mus card. Richaud, et deinde transitus fit ad cap. IV, n. 25.



EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Venerabiles Patres,

Iam, et feliciter, plures em.mi et exc.mi Patres exposuerunt coram Sacrosancto Concilio crudele ac grave problema de miseria et fame in mundo, problema quod certo ab antiquioribus temporibus saevit, sed quod, hic et nunc, cum maiori et urgentiori difficultate sese praebet: tum ex augmento populationis in terra, tum ex evolutione, promotione atque independentia multorum populorum.

Proinde, ut accurate manifestavit ill. D. Norris, altissimum caritatis praeceptum debet vehementius instigare christianos magis praeditos erga homines qui, in quibusdam regionibus, laborant quadam immani conditione.

Itaque, in nomine septuaginta Patrum et speciatim in nomine em.mi card. Silva Henriquez, praesidis huius coetus qui nominatur « Caritas internationalis », absentis hebdomada praeterita, liceat mihi, humiliter et non sine commotione, aliquid dicere quoad speciale officium caritatis.

Sane et ab initio, Ecclesia praecepto Domini multimode activam responsionem dedit. Sunt in nostra memoria omnes institutiones caritativae quae per clericos, per religiosos, per illustres laicos ad allevandas miseras sese devoverunt. Immo, in ipsis regionibus quae adhuc minus evolutae apparent, missionarii christiani consumpserunt heroicis conatus, dum Evangelium praedicaverunt, ad etiam vitam magis humanam promovendam.

Atqui « Caritas Internationalis » fundata Anno Sancto 1950, sub auctoritate et impulsu Papae Pii XII, pia memoriae, et sub directione exc.mi ac rev.mi D. Montini, nunc Pauli VI, feliciter regnantis, comprehendit, in ordine operis misericordiae, septuaginta tres organisationes nationales consociatas, quarum in regionibus increscentibus pleraeque sunt.

Eiusque praecipuum propositum radiatio est caritatis in hoc mundo, atque membrorum suorum collaborationem promovere. Diffusio talis spiritus adiuvat efficaciter assiduam certationem adversus ipsas egestatis causas, quas bene respiciunt omnes institutiones sociales, nam solum auxilium occasione datum non sufficit.

Inter multa, quam fecunda sunt exempla nobis data: a conferentiis episcopalibus, sive Statuum Foederatorum Americae Septemtrio-



nalis, sive nationis Canadensis; ab operibus germanis « Misereor » et « Adveniat »; a collectis quadragesimalibus in natione Belgica, Neerlandica, Austriaca, Gallica, Helvetica, et ceteris; atque micro-realisationibus, gallice « micro-réalisations ». Insuper, notabile auxilium propositum est conciliis a fidelibus catholicis institutis ab Oxoniensi Comitatu, vulgo dicto OXFAM. Perutilis cooperatio etiam cum exercitatione mundi adversus famem ab internationali nominata F.A.O. Immo acta est fraterna collaboratio cum Concilio Mundiali Ecclesiarum genovensi atque cum Operatione oecumenica, vulgo dicta « Espérance », a Communitate Taizé instituta pro America meridionali.

Quare, in sententiam em.mi card. Frings libenter accedens, firmiter affirmo necessariam esse in praesentibus circumstantiis, coordinationem in universo orbe operationum propriarum gentium, salva libertate et independentia cuius institutionis.

Concludo: huiusce coordinationis finis est:

1. Elucidatio et educatio officii atque responsabilitatis personalis omnium fidelium erga istud problema.

2. Formatio personarum aptarum et creatio structurarum in regionibus increscentibus.

3. Communicatio informationum et concertus diversorum inceptorum ad longius tempus.

4. Cooperatio cum christianis a nobis seiunctis, cum regiminibus et etiam cum officiis technici adiutorii atque progressus a Nationibus Unitis positis. Dixi.

Moderator: Loquatur em.mus D. card. Bernardus Alfrink et ad microphonium accedat exc.mus D. Alaphridus Ancel, ep. aux. Lugdunensis in Gallia, et sic transitus fit ad cap. IV, n. 25: « De pace firmanda ».

12

EM.MUS P. D. BERNARDUS IOANNES CARD. ALFRINK

Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Patres,

Brevitatis causa, omnibus laudibus omissis quae em.mus card. Feltrin iam emisit de n. 25 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*, cui titulus est « De pace firmanda », quibus laudibus plene adhaereo, sicut etiam ceteris animadversionibus *istius cardinalis*,¹ quasdam liceat observationes proferre ad quaedam in hac paragrapho enuntiata dilucidanda.

1. Sicut iam *dictum est*,² de pace firmanda Concilium non minora dicat quam Summus Pontifex Ioannes XXIII fecit in Encyclica *Pacem in terris*, quae omni generi humano tam magnum fecit gaudium et tam firmam donavit spem.

Nunc autem *de armis minuendis* Encyclica modo magis positivo loquitur quam nostrum schema. Quamvis in paragrapho 2 n. 25 de armis nuclearibus et similibus extirpandis clare sermo fit, sicut in Encyclica verbis simplicibus *dicitur* « *atomica arma interdicanur* », in *paragrapho 3 modo negativo*³ dicitur quod « S. Synodus gravibus verbis ut damnum exitiale cunctae familiae humanae illatum denuntiat et reprehendit effrenum illum cursum ad arma praeparanda ». Encyclica autem in hac materia clare et distincte modo positivo enuntiat sequentia, nempe: « ut bellica instrumenta quae variis civitatibus praesto sunt, hinc inde, per idemque tempus minuantur » ...⁴. Etsi armorum diminutio duabus conditionibus *limitatur, scil. reciprocitate et simultaneitate, quibus duabus conditionibus*⁵ ulterius in Encyclica *tertia conditio*⁶ additur, nempe « mutua efficaxque cautio », hic positivus modus loquendi de armis diminuendis in schemate nostro ne omittatur, ne Concilium in via per Summum Pontificem inita retrogredi videatur.

2. In par. 2 huius n. 25, sermo est de armis sic dictis A-B-C, scilicet atomicis, bacteriologicis et chemicis.

De his armis dicitur in schemate quod eorum « effectus maiores sunt quam qui *aestimari* possunt ac proinde ab hominibus rationabiliter *temperari* nequeunt ». His verbis duae qualitates his armis tribuuntur scil. inaeestimabilitas et intemperabilitas. Etsi hic modus loquendi de se sumptus de his armis sine distinctione aliquomodo valere dici debet, in lingua technica solummodo valent, *ut ita dicam*,⁷ de bomba — sit venia verbi, quod quidem est clarum, ut spero, sed non est latinum — in lingua technica ...⁸ solummodo valent de bomba sic dicta *sordida, squalida*, uti dicitur, quorum effectus exacte non computari nec temperari valent ab iis qui in hac materia sunt periti. Scientia autem his ultimis annis tales fecit progressus ut periti in hac materia bombam construere possunt — ut dicitur — *nitidam*, cuius effectus quoad locum et quoad nefastas sequelas exacte determinari possunt.

Nunc autem, si Concilium *nostrum*⁹ verbis istis generalioribus de armis nuclearibus loquitur, periculum adest quod verba sic interpretantur acsi Concilium solummodo de bombis sordidis, squalidis loqui intendat et concludatur quod bomba nitida, uti dicitur, non esset repudianda, datis quidem conditionibus in schemate enuntiatis. Hoc eo magis premitur, quia textus prout stat per verbum « *propterea* » in lin. 7 pag. 31 (« *propterea* scelestissimus coram Deo et hominibus ») innuere



videtur quod arma de quibus hic agitur, *ideo* praecise scelestissima dicuntur *quia* « effectus maiores sunt quam qui aestimari possunt etc. », acsi — si effectus revera aestimantur —, eo ipso arma ista desinunt esse scelestissima.

Quaeri etiam potest an in isto contextu theoria antiqua de bello iusto et de bello iniusto inseri debet ut fit in paragrapho secunda huius numeri.¹⁰ Iste modus loquendi saltem suggerit Concilium dicere velle quod revera bellum cogitari posset in quo usus armorum nuclearium etc. iustificari posset. Dubito an quis nostrum hanc suggestionem facere vellet. Nonne melius Concilium magna cum cautela de ista materia loquatur, ita ut non conclusiones deducantur, quas Concilium exprimere non voluit. Quaestio quae mentes et corda omnium hominum movet, non est an quovis modo bellum nucleare possit esse iustum an non, maxima anxietas omnis generis humani est quod nusquam nucleare bellum fiat.

Encyclica *Pacem in terris simpliciter et sine ulla ambiguitate* dicit: « *Iustitia, recta ratio, humanaeque dignitatis sensus* requirunt... ut atomica arma interdicanur ». Et per hoc movit corda hominum. Sicuti *de cetero Dominus*¹¹ Kennedy, Praesidens Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, qui dixit: « Nisi nos arma destruimus, arma destruent nos ».

3. Tandem aliquando rogare vellem ut in alinea prima n. 25, ubi sermo est de motivis quare Concilium Oecumenicum Vaticanum II de pace firmanda loqui se aggreditur, etiam mentio fiat de interna connexione inter Evangelium Christi et munus Ecclesiae quoad pacem firmandam. Textus prout nunc stat ut motivum enuntiat terrorem generis humani, deletionem timendam totius familiae humanae, immanitatem belli armis novis auctam. Nonne Ecclesiae sollicitudo pacis firmandae primarie est munus quod ita intime cum Ecclesiae missione et cum nuntio evangelico ab ea praedicando inhaeret, ut adhortatio pacis potius ad eius officium religiosum pertinet quam ad eius munus sociale, humanum?

De cetero in hoc n. 25 multa bona et pulchra dicuntur, ita ut commissioni quae hunc textum praeparavit, gratias exhibere debemus, etsi ordo generalis huius numeri et progressus idearum hic illic clarior et nitidior esse posset. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ a card. Feltrin prolatis. ² dixit em. mus Feltrin. ³ deest. ⁴ (A.A.S., 1963, p. 287). ⁵ deest. ⁶ deest. ⁷ deest. ⁸ haec verba schematis nostri. ⁹ deest. ¹⁰ n. 25. ¹¹ deest.



13

EXC.MUS P. D. ALFREDUS ANCEL
Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Venerabiles Patres, Fratres carissimi,

Textus de pace firmanda valde mihi placet. Puto tamen quod ulterius adhuc progredi possumus et debemus.

Etenim, ut certissime scitis, plures hunc textum impugnant, quasi contradictionem internam contineret.

Ex una parte, severissime damnantur bella, praesertim autem bella nuclearia aut quae eis in vi destructiva equiparari possunt. Sed ex alia parte, licitas affirmatur defensionis quae vi et coactione fieret contra iniustam aggressionem.

Argumenta autem ex utraque parte sunt validissima. *Iam audistis de usu armorum atomicorum.*¹ Ex alia vero parte, ius et etiam officium sese defendendi necessario affirmari debent, ne plena tribuatur libertas violentiae iniustae.

Rursus autem non habetur defensio efficax, si *natio iniuste impugnata*² non iisdem uti possit armis ac ipse aggressor. Ideoque affirmando licitatem defensionis, implicite saltem videtur affirmari licitas praeparandi arma nuclearia vel similia.

Nonne haec est ratio propter quam, non obstantibus tum voluntate pacis universaliter in mundo existente, tum colloquiis internationalibus saepe saepius repetitis, nullus verus habetur progressus sed, e contra, ut fatetur textus noster effrenus habetur cursus ad arma praeparanda?

Unde, sicut ab initio dixi, debemus ulterius progredi, ut hanc apparentem contradictionem superare possimus.

Certo nostri non est media politica aut technica mundo praebere. Neque competentiam neque ius habemus ut in talem campum ingrediamur. Sed Ecclesiae est dicere mundo quae sunt, sub respectu morali, verae exigentiae boni communis familiae populorum.

Via autem quam vobis *propono*³ iam implicite invenitur in documentis Pii XII, Ioannis XXIII necnon Pontificis Nostri Pauli VI. Insuper sat clare innuitur *haec via*⁴ in nostro textu. Optatur enim in constitutione communitatis gentium et auctoritatis internationalis talis progressus, qui praeparet condiciones in quibus bellum non possit adhiberi, etiam ad defensionem sui iuris.

Quae autem in nostro textu innuuntur, vellem clare et explicitè dicere. Humiliter ergo propono sententiam meam, quae duabus constat propositionibus. Deinde aliquas afferam explicationes.



1. In circumstantiis hodiernis, bonum commune familiae humanae videtur exigere ut omnes nationes, salvo omnino iure suo, in ordinandis rebus publicis propriis, definitive et absolute renuntient iuri belli, quae renuntiatio secum ferret renuntiationem omnibus quae necessaria sunt ad bellum, retentis unice iis quae requiruntur ad ordinem internum servandum.

2. Auctoritas internationalis eaque sola gaudere posset mediis necessariis ad cohibendum omnem conatum bellicum, quacumque ortus sit ratione.

Ecce nunc explicationes meae. 1. Quae nunc dixi nullo modo opponuntur iis quae in textu scripta sunt, sed unice constituunt novum gressum qui iam in textu praeparabatur. Hic autem gressus *mibi*⁵ videtur necessarius ad tollendam omnem speciem contradictionis.

2. Nullum detrimentum inferretur nationibus, cum unaquaeque plenitudinem iuris sui servaret. Solus ei prohiberetur recursus ad bellum, sed si quacumque ex ratione *impugnaretur*,⁶ ab auctoritate internationali *defenderetur*.⁷

3. *Difficultates maximae contra nostram propositionem pertinent, ut mihi videtur, ad ordinem psychologicum*.⁸ Modo enim⁹ plus minusve conscio remanet in nostris nationibus sive quaedam forma imperialismi, sive timor imperialismi aliarum nationum, sive forsitan utrumque simul. Ad hanc difficultatem superandam multa conferre possunt media quae in nostro textu enumerantur de genuino spiritu pacis.

4. Tandem iudicium ultimum de actuacione huius renuntiationis et de constitutione talis auctoritatis internationalis certo pertinet ad populum *moderatores*,¹⁰ qui ius et competentiam habent in mediis politicis et technicis adhibendis. Putamus autem non leve eis adiutorium afferri posse, si toto corde nostro laboremus ad recte efformandam opinionem publicam de exigentiis boni communis internationalis. Tunc vere *pacis erimus*¹¹ opifices.

Concludo. *Concilium votis populorum maxime responderet*¹² si, salvo tectoque iure singularum nationum, clare ostenderet viam quae necessaria est ad bella removenda. Sicut olim promotio auctoritatis nationalis suppressit recursum ad bellum inter civitates, ita, servatis servandis, *puto quod promotio sufficiens*¹³ auctoritatis internationalis possibilem redderet suppressionem definitivam bellorum inter nationes. Quod faxit Deus! Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Usus enim armorum, quorum effectus horrendi neque possunt ab hominibus temperari, certo excedit omnem iustam proportionem, unde talis usus stricte prohiberi debet. ² deest. ³ proponam.



⁴ deest. ⁵ non est possibilis nisi iam admittatur ipse textus, sed. ⁶ impugnarentur. ⁷ defenderentur. ⁸ Difficultas maxima quam inveniremus, mihi videtur, ad ordinem psychologicum pertinere. ⁹ deest. ¹⁰ rectores. ¹¹ pacifici erimus seu pacis. ¹² Puto Concilium maxime respondurum esse votis populorum. ¹³ promotio.

14

EXC.MUS P. D. MICHAËL NTUYAHAGA

*Episcopus Bujumburaensis**Venerabiles Patres,*

Liceat mihi audiri facere vocem meam parvam inter tam dignas et venerabiles. De caritate fraterna breve loquar.

Concilium Vaticanum II initio suo cum admiratione quadam, deinde vero cum reverente gaudio, ab hominibus acceptum, omnium benevolentiam et consensum cepit, propter spiritum suum caritatis et comprehensionis.

Concilium unitatis caritatisque viam ad corda invenit, et haec est via vera in qua progredi debet Concilium, ut respondeat expectationi mundi.

« Caritas est sola lingua nationibus populisque aptata », ut dixit Sanctus Pater Paulus VI gloriose regnans. Nonne Papa Ioannes XXIII, felicitis memoriae, in toto orbe veneratur propter bonitatem suam et caritatem?

Caritas est centrum et fundamentum religionis nostrae christianae. Caritas est lex prima nobis data a Christo, in qua omnes leges et prophetae continentur: lex amandi Deum super omnia et proximum ut seipsum. Caritas est signum quo veri discipuli Christi dignoscantur. Evangelium nobis datum a Christo, Regnum Dei in nobis, est bonum Nuntium amoris Dei et fratrum, immo inimicorum. In hoc signo iudicabimur.

Propterea imago revelationis Christi, quae non exaltaret amorem hominum, esset incompleta. Relationes Ecclesiae cum mundo huius temporis quae non maxime innituntur in lege caritatis, vanae essent. Schema quae tractat de his relationibus speciali modo in lucem ponere debet caritatem ut fundamentum omnium relationum humanarum, necnon omnis usus rerum huius mundi.

Amore hominum ductus Christus reliquit omnia, et nobis dedit vitam suam. Dare hominibus Bonum Nuntium Christi, essentialiter significat: docere homines amorem Dei et caritatem fraternam. Homines



qui se dicunt credere Christo et caritatem fraternam non vivunt, in ignorantia Evangelii degunt.

Sed quid vidimus in mundo? Quae sunt rationes propter quas homines se mutuam servitium praestant? Saepe saepius, rationes sunt amor sui ipsius, honor vel timor. Quem timent adiuvant, debilem calcantur.

Christus, si redisset in terram, quid dixisset? « Quod etiam pagani hoc faciunt! ».

Quid nobis prodesset hoc Concilium, si non maxima in luce poneret caritatem inter homines? Haec caritas sola est vis et virtus christianorum.

At, proh dolor!, in hoc ipso tempore Concilii Vaticani II, maximum quidem quoad numerum et varietatem membrorum suorum, millies vitae humanae pereunt in Africa, in Asia et in toto mundo propter rationes fictas, quae velare vix possunt alias rationes inexprimibiles. Cur? Quia homines, etiam credentes, ignorant Christum caritatis. In multis Evangelium non amplius est vita, sed pro multis, etiam qui nomine christiano vestiuntur, Evangelium est doctrina, pauca differens a theodicea quadam aut philosophia humana.

Concilium nostrum contra hanc despectionem Evangelii, quae est quasi atrophiam quaedam, agere debet. Evangelium est vita in caritate, ut dixit S. Paulus: « Sine caritate sum aes sonans, cymbalum tinniens ».

Sola caritas mutabit faciem mundi, moderabit cupiditates hominum, efficiet unitatem hominum omnium stirpium, et quiescere faciet voluntates divisionis et dominationis.

Propter quod, clare et explicito modo Concilium nostrum recordari debet omnibus hominibus mandatum Domini.

En supplicatio mea, venerabiles Patres: Concilium nostrum est adunatio amoris et caritatis. Mundus exspectat a nobis ut communicemus ei hanc caritatem fraternam. Sola caritas dabit mundo tam desideratam pacem.

Praeter locum specialem in schemate de relationibus Ecclesiae et mundi, quam pulchrum esset si Concilium nostrum daret mundo nuntium aliquod caritatis, pacis et respectus omnium, necnon aliquas preces inserendas in Sacra Liturgia. Nonne silentium nostrum esset amara deceptio hominibus in miseriis degentibus, qui adhuc credunt, et iure quidem, influxui morali Ecclesiae et Concilii?

Patres venerabiles, aperto corde locutus sum; Vobis gratias ago propter benevolentiam vestram. Dixi.



15

EXC.MUS P. D. IACOBUS GUILHEM

*Episcopus Valleguidonensis**Venerabiles Patres, carissimi Observatores,*

Ab initio iam Concilii Vaticani II, universus orbis expectat a Patribus, responsum ad maiora problemata, quae eum angore afficiunt. Inter quae, procul dubio, problema de bello atomico maximum est, atque periculosissimum. Hac in re tam gravi, non possumus non loqui.

Mihi ergo liceat, lumine edoctus Evangelii, aliqua monita exprimere, ut homines hodierni huiusmodi periculum avertere queant...¹

1. *De armis atomicis et similibus ad destructionem massivam prorsus prohibendis.* Inter arma contemporanea dicta « Armes A.B.C. » ...², aliqua habent effectus destructionis massivae et indiscriminatae, scil., *sicut dicit schema*,³ effectus « maiores quam qui aestimari possint et ab hominibus nequeunt rationabiliter temperari », sive per destructionem, sive per morbos hereditarios, usque nunc incognitos.

Scienter et volenter uti talibus armis, et non omissis consequentiis eorum, est summa iniuria contra Deum et contra humanitatem. Revera schema refert optime, talem usum excedere omnem iustam proportionem. Quae cum ita sint, talis usus nullo principio morali iustificari potest. Contra huiusmodi « genocidium » referens horresco et solemniter indignationem proferre debemus.

2. *De pace fundata, non in terrore atomico, sed in caritate et dialogo.* Etiam si usum armorum atomicorum reiiciunt, aliqui tamen putant impossibilem adhuc esse diminutionem apparatus militaris. Opinantur pacem fundari posse solummodo in quodam aequilibrio, quod procedit ex terrore atomico.

Nos autem, putamus pacem prius in comprehensione mutua et in dialogo fundamentum suum invenire. Quaevis divisio politica, vel ideologica, vinci potest in spiritu fraternitatis et comprehensionis. Numquam ergo tam necessariae fuerunt conferentiae internationales, ad instaurandam diminutionem apparatus bellici, modo progressivo et generali, et ab omnibus recognito, sicut postulaverunt illi praeclari Summi Pontifices Pius XII, Ioannes XXIII et Paulus VI, *amanter regnans*.⁴ Verbum Dei non est alligatum.

3. *Vis atomica pro bono humanitatis est adhibenda.* Nullo modo damnandae sunt scientificae investigationes de rebus atomicis; quin immo, magis magisque promovenda sunt, quia desintegratio atomi, ab



humano genio inventa, ad bonum universi mundi valde conferre potest, eodem modo ac radium vel penicillina. Ad bonum universi, dicimus, non ad eius ruinam. Invitamus ergo omnes doctos, et omnes artis technicae peritos, ut rectores nationum de consequentiis inventorum edoceant, eorumque effectus praevideant. Necessarius est hodie, codex iuris professionalis, seu deontologia, speciatim in campo nucleari.

4 et ultimo. *Fideles cooperari debent ad arma progressive ubique eiicienda.* Dum in dies multiplicantur arma nuclearia et similia, eo magis retardatur prosecutio boni communis. Quomodo tam ingentes pecuniae summas expendere possumus, dum in hoc mundo, ex tribus hominibus, duo saltem fame vexantur? Pecuniae summae huiusmodi, aspectum habent mammon iniquitatis. Hoc impedit quod res oeconomicae instaurentur secundum iustitiam, pro bono semper maiori omnium hominum.

Nunc autem, rectores quarumlibet nationum nunquam hunc effectum obtinebunt, nisi publica opinione valde adiuventur. Talis communis opinio, obiectiva, edocta, nullis influxibus subdita, hodie prorsus necessaria est. Magis quam quilibet alii, debent christifideles sapienter et vigilanter, adlaborare ad talem opinionem excitandam, quae paci faveat. Etenim, christifideles sunt sal terrae; si sal infatuatur, in quo salietur?

Concludendo. Gaudeo quia schema nostrum suscitavit magnos conatus « ut bellum nucleare ab omnibus nationibus sollemniter proscribatur ». Non agitur de voto simpliciter, sed de urgente deprecatione ad omnes homines directa.

Eandem postulationem repetimus et nos, tanquam motivum spei nostrae, coram timenda destructione populorum. In corde nostro, simul portamus et angorem et spem universi mundi!

Et sic, loco fulguris horrendi deflagrationis atomicae, sancta nostra Synodo *fulgebit*⁵ hominibus, lumen Christi, ad revelationem gentium. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Nomine proprio loquor, sed etiam nomine omnium qui bonae sunt voluntatis. Verba ergo faciam breviter. ² (Atomica, Biologica, Chimica). ³ deest. ⁴ deest. ⁵ illuscebit.

Moderator: Proxima congregatio erit cras, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.